367

C


11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

KW 367 C 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS
De Beneficiis Meſſiæ intra LXX. Hebdomadas, ad *DANIEL.* IX. 24.

QUAM

ANNUENTE DIVINO NUMINE

Ex Auctoritate Magnificè Rectoris,

D. JACOBI TRIGLANDII, I.F.I.F.
SS. THEOL. DOCT. ET IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS, ECCLESIÆ IBIDEM PASTORIS,

NEC NON

Ampliſſimi Senatüs Academici Conſenſu, & Celeberrimæ Facultatis THEOLOGICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in THEOLOGIA Honoribus, & Privilegiis, ritè, ac legitimè conſequendis,

Publicæ Eruditorum diſquiſitioni ſubjicit

JOHANNES WESSELIUS, Friſius, V.D.M.

Ad diem 2. *Octob. à puncto horæ* 9 *ad* 11.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. M DC XCIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

ILLVSTRI AC *GENEROSO*
VIRO
VVILHELMO AB HAREN,

PER QUADRAGINTA QUINQUE ANNOS BILTIÆ PRÆTORI. JAM EXPRÆTORI REGENTI. AD CONSESSUM C. C. P. P. O. O. GENERALIUM EX FRISIÆ NOBILITATE EXTRA ORDINEM DELEGATO PERPETUO. ILL. AC P. P. ORDINUM FRISIÆ DELEGATO OCTOVIRO. ACADEMIÆ FRANEQUERANÆ CURATORI. OCTO LEGATIONIBVS DIFFICILLIMIS TEMPORIBUS AD POTENTISSIMOS EUROPÆ REGES ET PRINCIPES. ETIAM OLIM AD NEOMAGIENSIS. NUPER AD RYSWICENSIS PACIS FOEDUS. SUSCEPTIS. FELICISSIME DEFUNCTO. IMMORTALEM NOMINIS GLORIAM CONSECUTO. ETC. ETC. ETC.

UT ET

NOBILISSIMO, AMPLISSIMOQUE VIRO

FREDERICO A SMINIA,

PRÆTORI WTINGERADELANO. ILL. AC. PP. ORD. FRIS. DELEGATO OCTOVIRO. VARIIS DIGNITATIBUS MUNIISQUE TOGA SAGOQUE GESTIS DUDUM INCLUTO. AC DE REPUBLICA OPTIME MERITO. ETC. ETC.

DOMINIS. PATRONIS AC FAUTORIBUS MEIS BENEFICENTISSIMIS. DUM SUB HUJUS AUSPICIIS IN GRATISSIMA STATIONE ACCERUMANA VIXI. ILLIUS VERO AURA FAVENTE IN STATIONE BILTANA PRÆSENTI VIVO. SPIRO. SPERO.

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM SACRAM VOLO.

JOHANNES WESSELIUS,
V. D. M. BILTANUS.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

B
9

DISSERTATIO THEOLOGICA
INAUGURALIS
DE
Beneficiis Meſſiæ intra Lxx. Hebdomadas,
ad
DANIEL. IX. 24.

INter Prophetas veteres illuſtris meritò cenſendus eſt *Daniel.* Hic certè *Propheta* nomen & omen habet. Nomine Prophetæ ipſum dignatus eſt Chriſtus *Matth.* XXIV. 15. nec non *Joſephus*, qui ipſum appellat ἕνα τῶν μεγίςων προφητῶν *Ant. Lib.* X. *Cap.* XII. Neque omine ipſo deſtituitur. Poſſem adducere, quod *Propheta* vocetur, qui Deo familiaris ac ſingulariter acceptus eſt *Geneſ.* XX. 7. *Pſal.* CV. 14. 15, qui frequenter calidas ſimul ac validas apud Deum preces fundit *Gen.* XX. 7. cujus labia laudem ac gloriam Dei celebrant 1 *Sam.* X. 5. 1 *Chron.* XXV. 1. 2. 3. &c. ſicuti hæc omnia in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

Daniele inveniuntur, qui איש חמודות *Vir Deſideriorum* Dei, h. e. Deo deſiderabilis, placens ac carum caput *Dan.* IX. 23. X. 19. hinc etiam Noacho & Jobo comparandus *Ezech.* XIV. 14. 20. quique in laudibus divinis & in precibus frequens ac apud Deum validus erat, tantò certe excellentior inter Prophetas, quantò frequentior ac validior in precibus *Dan.* II. 19. VI. 11. IX. 3. Sed magis ſpecialia ſpecto, & quæ ad Prophetam propriè dictum pertinent. Sic utique *Propheta* erat, cui res arcanas vel præſentes vel præteritas vel futuras revelabat Deus, maximè in inſomniis ac viſionibus *Numer.* XII. 5 Porro qui à Deo acceptas revelationes eloquitur ac cum aliis communicat *Jer.* XXIII. 22. 28. atque ſic Eccleſiam docet inſtruitque de conſilio ejus voce vel ſcripto; quò pertinet illud de *Aharone*, qui *Propheta* Moſis dicitur, quia ex ipſius ore, quaſi *Dei ſui.* verba accepta elocuturus erat, perinde ac Prophetæ Dei à Deo accepta eloquuntur verba *Exod.* VII. 1. *coll. Exod.* IV. 15. Denique qui dies Meſſiæ ac myſteria regni ejus annunciat, *Teſtimonium enim Jeſu eſt ſpiritus Prophetiæ Apoc.* XIX. 10. unde meritò illi *Prophetæ*, qui Chriſto teſtimonium dant *Act.* X. 43. 1 *Pet.* I. 11. Tandem qui non ad tempus & ſemel forte revelationes accepit, ſed ſæpius, ac apud quem per multos annos *Prophetia* permanet. Ex his omnibus facilè colligi poteſt, quod Daniel habendus ſit inter excellentiſſimos ac propriè dictos Prophetas. Quod liquet ſive arcanorum revelationes & futurorum declarationes etiam in inſomniis ac viſionibus mirandis ipſi factas reſpiciamus, ſive ſcripta ejus adhucdum extantia, quibus revelata ſibi communicat ac Eccleſiam docet, intueamur, ſive oracula de Meſſia ejuſque regno illuſtriſſima cogitemus *Cap.* II. 44. 45. VII. 13. 14. IX. 24. &c. ſive denique revelationum frequentiam ac prophetiæ permanentiam apud ipſum ad ſeram uſque ætatem conſideremus. Quapropter meritò rejicienda criſis Judæorum eſt, qui ut elevent hujus viri Prophetias ac Chriſti de ipſo elogium enervent, eum choro Prophetarum ejicere ſtudent, hac in parte à Chriſtianis quibusdam neutiquam ſequendi. Talia enim proferunt *Propheta* γνωρίσματα, quæ apertè Scripturis contraria affectatam fingendi libidinem in ipſis oſtendunt. Qualia ſunt, prophetiam non cadere ſuper *captivum, exulem, triſtem, decrepitum ſenem* &c. quæ exemplis *Jeremiæ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

remiæ Cap. xxxii. 2. xxxiii. 1. *Ezechielis Cap.* i. 1. iii. 14. *Jacobi Gen.* xlix. &c. confutata, *Danieli* noſtro nequicquam præjudicant. Diſtinguunt præſertim inter gradum *primum* ac *ſecundum* prophetiæ, ac illum נבואה/ hunc vero רוח הקדש appellant. Inde autem mirari oportet ἀβλεψίαν eorum, quod cum S. S. ei tribuant, qui inſtinctu occulto Spiritus integris ſenſibus revelationem accipit, *prophetiam* ei, qui ſenſuum uſu ablato ſive vigilans ſive dormiens videt viſiones, vel audit vocem ſibi loquentem; *Danieli* non *Prophetiam*, ſed *Spiritum Sanctum* ut Prophetiæ gradum ſecundum, adſignent: cum conſtet animum ejus, poſt repræſentationem primam rerum divinarum, tanto majeſtatis fulgore circumfuſum atque conſternatum fuiſſe ſæpius, ut corpus viribus defectum ſine motu ſenſuque jaceret *Cap.* viii. 17. 18. 27. x. 8. Nec ratio ſtringit, quam adhibet *Kimchi Præfatione in Pſalmos*, quod *ejus virtus ac ſcientia non pervenerit ad illas viſiones, juxta virtutem Jeſaiæ Ezechielis ac reliquorum Prophetarum.* Id enim gratis dicitur, cum ille viſiones ſimul cum interpretationibus acceperit, ac viſionis intelligentiam ſibi tribuerit *cap.* x. 1. certe ſapientiâ ac occultorum intelligentiâ præ multis polluerit *Ezech.* xxviii. 3. Quod ad ordinem Bibliorum attinet, ubi Daniel inter כתובים ponitur, is nec ſemper in omnibus idem, proinde nec divinus, nec etiam à Chriſto comprobatus eſt *Luc.* xxiv. 44, qui verius reſpicere videtur ad diviſionem librorum, quam exhibet *Joſephus Lib.* 1. *contra Appionem*, *Legem*, quinque libris, *Prophetas* à *Moſe* ad *Artaxerxem*, Daniele incluſo, tredecim libris, & *hymnos* quatuor libris, memorans comprehenſos. Ratio vera, ob quam recutiti Danielem Prophetis annumerare nolunt, eſt occulta, ſcilicet quia nimis illuſtria ſunt Viri hujus vaticinia, præſertim illud quod præ manibus habemus, & per manifeſtam hujus prophetiæ lucem ne volentibus quidem cæcutire tenebrarum filiis licet.

II. Certe hæc noſtra Prophetia, in qua Meſſiæ perſona, ſtatus, munera. beneficia, judicia, cum temporis determinatione, quo omnia eventura erant, clarè deſcribuntur, onus illud Judæis eſt, quod excutere non valent, adeò ut eam non extare, ſaltem non legi vellent, perdita cæterum impudentia depravare ſuſtinentes mentem ejus pro obduratione cordis eorum. Uti verò deſideramus reſtitutionem gentis illius ac con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

verſionem ad Meſſiam ſuum, dudum natum paſſum & exaltatum, ita certè dignius argumentum vix inveniri poteſt in quo occupemur, & ubi majori ſpe opera noſtra collocetur, quam in explicandis ac vindicandis vaticiniis antiquis, quibus Meſſias noſter vivis coloribus depictus atque delineatus fuit. Unde etiam nos operam noſtram haud perdidiſſe rati in elucidatione horum verborum qualicunque, eadem ſelegimus, ui ſint materies excercitationis hujus, cogitantes vix quemquam Prophetarum fuiſſe, qui ſtudiis noſtris adeò commendatus legitur in ſacris & â Chriſto ipſo, ac *Daniel*, imo hic ipſe locus noſter.

III. Digniſſimam ergò materiam ut ordine tractemus, non ſolum ſenſum verborum indagabimus, ſed & eorum veritatem demonſtrabimus. Ut verò verborum mens clarius conſtet non inutile erit occaſionem eorum & ſcopum ex antecedentibus aliquantulum illuſtrare. Nempe *Daniel* anno primo *Darii Medi* ex Prophetiis *Jeremiæ*, quæ extant *Jerem.* XXV. 11. XXIX. 10. annos Captivitatis Babylonicæ â Deo definitos eſſe *ſeptuaginta*, atque adeò finem illius jam inſtare, edoctus, ad preces confugit, etiam à *Jeremiâ* præſcriptas *Jer.* XXIX. 12. 13, ſuo ſic exemplo docens certitudinem conſilii ac prædictionis divinæ cum precibus, ut mediis divinitus ordinatis, neutiquam pugnare. Petit verò vir ſanctiſſimus populi ſui urbiſque ac ſanctuarii reſtitutionem, & quidem propter fines decentiſſimos; quorum ultimus eſt *gloria Dei*. *Domine exaudi*, *Domine condona*, *Domine attende*, *& effice*, *ne tardato* למענך אלהי *propter te ipſum Deus mi verſ.* 19. ſubordinatus vero ſponſionis æternæ factæ â Filio Redemtore exſolutio, atque adeo *Meſſiæ apparitio* in *carne*, in terrâ *Canaanis* ac inter *populum ſuum*. Hoc intendit Daniel *verſ.* 17. *Auſculta Deus noſter orationi ſervi tui*, *& propter Dominum* למען ארני. Ubi nulla neceſſitas nos cogit, ut dicamus heic nomen poſitum pro pronomine, ſenſus enim emphaticus ac fidei patrum convenientiſſimus emergit, *conf. Pſalm.* LXXX. 15. quem etiam reſponſum, quod attulit *Gabriel* de populo reducendo & civitate reſtauranda propter Meſſiam & opera gratiæ ab ipſo perficienda, efflagitare videtur. *Propter Dominum* ergò cum dicat Daniel, non ſolum propter ſponſionem Filii & hac nixam ejus interceſſionem apud Patrem, de qua *Job* XXXIII. 23. 24. ſed & propter eum

olim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

olim ex gente Iſraelitica oriundum, ac in medio ipſius terræque Canaanis habitaturum, â Deo exaudiri petit, non ſubſiſtens in externa populi liberatione, ſed hanc unice deſiderans propter Meſſiam. Oratio hæc viri Deo chari etiam fructu ſuo haud caruit. Etenim adhuc loquenti, oranti, ac peccata confitenti apparuit illicò cæleſtis nuncius, ipſi precum ſuarum gratioſam exauditionem nunciaturus, ac hoc pacto ſollicitum Vatem conſolaturus. Declarat nempè Gabriel, populum eſſe reducendum, ac civitatem ſanctam reſtaurandam, & quidem propter Meſſiam & peccatorum expiationem, juſtitiæque æternæ adductionem per ipſum futuram. Hunc idcirco venturum ad ſuos, idque in fine LXX. *ſeptimanarum*, poſtquam Deus gravitatem iræ ſuæ in captivitate LXX. *annorum*, renovato favore gratia ac longanimitate in populum Judaicum ſeptuplò longiori temporis ſpatio compenſaſſet. Unde apparet Angelum in hisce gentis Judaicæ calamitates continuandas non denunciare, uti vellent Judæi contra ſcopum & contextum.

IV. *Generatim* determinat Angelus tempus longanimitatis ac gratiæ Dei ſuper populum Danielis, propter opera Meſſiæ intra illud temporis ſpatium ad ſalutem electorum peragenda *verſ.* 24. In temporis generali notatione occurrunt non ſolum *ſumma* ejus *definita*, ſed & *objectum*, cui iſtius temporis duratio tribuitur, quin etiam *fines decentiſſimi*, ob quos hoc tempus â Deo genti Danielis datum eſt.

V. Temporis univerſi ſumma ſancta quâdam ſtyli ſublimitate proponitur, cum non per *annos*, ſed per *ſeptimanas* illud numerat Angelus שבעים שבעים נחתך / apud LXX. Ἑβδομήκοντα ἑβδομάδες συνετμήθησαν. *Vulg. Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt.* Notat vulgò *ſeptimana*, Hebræis שבוע & שבת / ſpatium ſeptem dierum in orbem continuò redeuntium, & illa ad diſtinctionem ab alius generis ſeptimanis dicitur *ſeptimana dierum.* Sic teſtatur Daniel, quod fuerit in luctu atque jejunio *tres* שבעים ימים *ſeptimanas dierum Dan.* x. 2. 3. Quandoque verò notat in ſacris ſpatium *ſeptem annorum*, ſingulis diebus pro totidem annis poſitis, uti id frequenter uſu venit *Ezech.* IV. 6. *Apoc.* XII. 6. &c. Atque huc trahunt quidam illud *Labanis* ad *Jacobum* מלא שבע זאת / *Imple ſeptimanam iſtam* i. e. ſeptennium iſtud, *& dabimus tibi etiam il-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

lam pro ſervitute, quâ ſervies apud me adhuc ſeptem annos; alios. *Gen.* XXXIX. 27. Ubi præſtat forte זאת referre ad Leam, ac ſeptimanam nuptiis ejus deſtinatam intelligere, *conf: Gen.* L. 10. *Jud.* XIV. 14. *Tob* XI. 20. Ab aliis huc refertur illud *Jeremiæ cap.* V. 24. ubi Deus exprobrans ſummam Judæis ingratitudinem, dicit illos ad animum non revocare, quod *dederit* ipſis *pluviam tempeſtivam* ac *ſerotinam tempore ſuo*, & quod *ſervaverit* ipſis שבעות חקות קציר. Extra omne vero dubium eſt poſitus locus *Levit.* XXV. 8. *Et numerabis tibi* שבע שבתות שנים *ſeptem ſeptimanas annorum, ſeptem annos, ſeptem vicibus, & erunt tibi* ימי שבתות השנים *dies ſeptimanarum annorum quadraginta novem anni.* Similis locutionis exemplum produxit A. *Gellius Noct. Att. Lib.* III. *Cap.* X. ex M. *Varrone*, qui alicubi teſtatur *ſe quoque jam duodecimam annorum hebdomadam ingreſſum eſſe*, ridiculè adjiciens, *ſe ad eum diem ſeptuaginta hebdomadas librorum conſcripſiſſe.* Similiter loquitur *Macrobius Lib.* V. 5. *Cap.* VI. *in Somnium Scipion. Et quarta annorum hebdomas impleta in latum quoque creſcere* (ſc. hominem) *ultra jam prohibet. Quinta omne virium complet augmentum, ſed à ſexta uſque ad ſeptimam ſeptimanam fit quidem diminutio, ſed occulta. Ideò nonnullarum rerum publicarum is mos eſt, ut poſt ſextam ad militiam nemo cogatur: in plurimis detur remiſſio juſta poſt ſeptimam.*

VI. Præter has duas ſeptimanarum ſpecies, alias haud recenſet Sacra Pagina. Unde ſeptimanæ *decenniorum*, quarum quælibet ſepties decem ſeu ſeptuaginta annos contineret, & quas finxit, *Origenes Homil.* XXIX. *in Matth.* aut etiam *Jubilæorum*, imo *ſæculorum*, ad quas deſperatæ cauſæ indicio confugiunt quandoque Judæi, ſicuti abſque ullâ Scripturæ authoritate excogitantur, ita eadem facilitate rejiciuntur, quâ proferuntur. Remanet ergò ut vel hebdomadas *dierum*, vel *annorum*, intelligamus. Priores illæ locum heic non reperiunt, quia ſcilicet ſpatium nimis breve continent, quam ut tot tantique eventus prædicti eo perfici poſſent. Præterquam quod Daniel ſequenti Capite *tres dierum hebdomadas* memorans, haud obſcure illas ab hiſce diſtinctas eſſe ſubinnuere voluerit. Subinde patet *annorum hebdomadas* eſſe intelligendas, conſentientibus etiam in hoc Judæorum pleriſque Doctoribus.

VII.

VII. Quantum ad numerum porrò totalem ſeptimanarum, declarat Angelus, eas â Deo deciſas eſſe *ſeptuaginta*, quæ communiter conficere creduntur annos 490. Hos verò quidam *Lunares* cum *Julio Africano Sec.* III. Chronologo, ac *Ven. Beda*, plures *Solares* eſſe ſtatuerunt. Et recte: notandum enim, quod quidem anni *Lunares* Veteribus Hebræis in uſu fuerint, ſic tamen ut iidem eos commoda intercalatione ad Solis motum revocaverint, uti ob feſtivitates anniverſarias, annoſque Sabbaticos, prorſus neceſſarium erat. Cucurriſſent enim alias menſes per omnes anni tempeſtates; nec *Niſan* אביב menſis *ſpicarum* ſemper eſſet *Exod.* XIII. 4. nec etiam poſtero die Paſchatos, ſiquidem illud ſemper 14. vel 15. Niſan celebrari deberet, manipulus frugum matureſcentium, aut feſto Pentecoſtes primitiæ meſſis abſolutæ offerri poterant, ſi non iidem menſes intercalatione facta ad eandem anni tempeſtatem continuò rediiſſent. Eadem eſt ratio annorum Sabbaticorum; nam quovis ſeptimo ineunte meſſis haud abſoluta, aut etiam exeunte opportunum ſeminandi tempus pro anno octavo mox adeſſe poterat. Unde apparet, Judæos in digerendis annis ſuis ab uno Sabbatico in alium, & ab uno Jubileo in alium, non ſupputaſſe Lunares, ſed neceſſario Solares annos; ac conſequenter, cum heic Angelus numeret ſeptuaginta annorum Sabbata, ſeu decem Jubileos, planum eſt utique quod non Lunares, ſed Solares intelligat.

VIII. Ulteriori diſquiſitione indiget determinatio numeri annorum exſurgentium ex LXX. Hebdomadibus hiſce. Certiſſimum eſt, ſi LXX. ſeptimanæ invicem ſibi immediatè ſubſequentes computentur, eas conficere annos 490. Verum ſi in ordine ad Judæorum computum eas numerari velit Angelus, iſta annorum 490. determinatio extra omnem dubitationis aleam poſita non erit. Numerabant enim Judæi juxta ſententiam quorundam annos Sabbaticos, donec perventum eſſet ad ſepties ſeptenum, id eſt quadrageſimum nonum. Sequentem annum quinquageſimum faciunt Jubileum. Hunc verò in numero ſeptenorum non fuiſſe, ſed ſupputationem eorum rurſus initium à quinquageſimo primo habuiſſe contendunt. Sic computaſſe Judæos autor eſt *Maimonides. Cap.* X. *de Schemitta & Jubileo*, cujus verba latinitate donata hunc in modum exhibet *Vorſtius*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

in Obſervat. ad Chronol. R. David Ganz. pag. 211. *Annus Jubileus non reſultat ex calculo annorum ſeptimanæ, ſed* 49. *annus Sabbaticus, & annus* 50. *Jubileus;* 50. *autem & poſterior initium fit ſex annorum ſeptimanæ, atque ſic deinceps in quolibet Jubileo.* Huc etiam facere videtur Judæorum Chronologia in *Seder Olam Rabba*, ubi autor pro Jubileis XVII. putat annos DCCCL. cum anni decies ſepties XLIX. facerent tantum annos DCCCXXXIII. Vide hoc notantem *Cloppenburgium in Schola Sacrif. Cap.* II. §. XXVIII. Nec abſque ullâ ſpecie hoc ponitur. Etenim quod Jubileus non 49. ſed 50. fuerit annus, præterquam quod apertè Moſes *annum* 50. poſt numeratos annos 49. ſanctificandum præſcribat, ſatis colligi poſſe videtur exinde, quod expreſſe Deus in Jubileis tellurem coli prohibeat *Levit.* XXV. 11. 12. Quæ ſanctio ſupervacanea videri poſſet, ſiquidem Jubileus in annum 49. incideret, quippe qui per ſe Sabbaticus, utpote ſepties ſeptenus erat. Porrò cum Jubileus annum ſepties Sabbaticum immediatè ex lege ſequi, & tamen 50. anni ab uno ad alterum Jubileum, excluſo termino præcedentis, eſſe deberent, ſequitur inde, quod Jubileus ſepties ſeptenum immediatè ſemper ſequi non poſſit, ſed continuò ab illo divagari debeat, ſi nempe Jubileus primus eſſet in ordine ſeptenorum. Unde concludere licet, illum 50. in ordine ſeptenorum non fuiſſe, ſed annos Sabbaticos à quinquageſimo primo demum numeratos eſſe. Quæ ſi vera ſint, LXX. ſeptimanæ, quatenus ita in orbem rediêre Judæis cum intercurrentibus Jubileis, jam non 490. ſed 500. annos conficiunt; ſiquidem Angelus eam Judæorum computationem reſpiciat, atque illa computatio poſt captivitatem Babylonicam in uſu fuerit, uti aſſerit idem *Maimonides*, Jubileos tum quidem non celebratos, attamen numeratos fuiſſe propter anni cujuſvis ſeptimi remiſſiones, quæ ex Lege fiebant. Non eſt profectò ſententia hæc tanti ponderis, ut ob eam communem illam de numero annorum 490. deſeramus. Utique probari nequit, ſingulos Jubileos comprehendiſſe annos 50. excluſo termino præcedentis. Quod gratis quidem in hac ſententiâ ſupponitur. Dicitur quidem annus *Jobel quinquageſimus*, ſed nil impedit quominus id intelligatur cum incluſione termini præcedentis; ſic ut primus Jubileus fuerit ſimul primus annus, non ſolum in ordine ad Sab-

bati-

baticos, ſed & ad Jubileum ſequentem, ac proinde intervallum, quod intercedit ab uno Jubileo incluſive ad alterum fuerit tantum annorum 49. Et hoc pacto ſatis quidem ſanctionum Divinarum de Jubileo *quinquageſimo*, & *ſequente* continuo ſepties ſeptenum, harmoniæ conſulitur.

I X. Interim quod Angelus hanc annorum ſummam LXX. *hebdomadibus* involverit, haud abſque ratione factum putamus. Indicavit fortè *brevitatem* temporis hujus, quod comparatè ad ſeculorum antelapſorum multitudinem, ac bonorum in ejus fine expectandorum magnitudinem, breviſſimum ac quaſi dierum vel ſeptimanarum aliquot ſpatium haberi poterat. Sic utique Prophetæ præſertim poſt captivitatem Babylonicam brevem Meſſiæ moram, ad confirmandam fidelium fidem, eorumque conſolationem augendam, adſcribere ſolent *Hagg.* II. 8. *Mal.* III. I. Eodem modo Angelus, cujus principale conſilium eſt promittere Meſſiam, & liberationem ſpiritualem; ab ipſo adducendam, uti ante dictum eſt, fluxuris ævis brevitatis quandam ſpeciem conciliare fortè voluit. Quod ſi alicui nimis argutum videatur, audiat aliam hujus rei cauſam, quam adfert *Lud. Cappellus ad Tab. Chron.* X. Obſervat ille, numerum hunc eſſe compoſitum ex duobus, *ſeptenario* nimirum & *denario*, in ſe multiplicatis, atque illos duos numeros cum in Scripturâ tum in naturâ eſſe inſignes, ac à Deo quaſi ſanctificatos atque conſecratos: propterea igitur Angelum iis heic uti, quia hoc ſapientiæ Dei conſentaneum videtur, ut ad res tam inſignes numerum etiam delegerit maxime inſignem, ex duobis ſacris & ab ipſo ſanctificatis numeris compoſitum. Magis ad rem docet *Calvinus*, Angelum hic alludere ad LXX. *annos* Captivitatis, de quibus verſ. 2. atque eorum reſpectu heic promittere eum, quod miſericordia Dei judicium ejus ſit ſuperatura ſeptuplò, & duratura ſepties ſeptuaginta annos ad Chriſtum uſque. Verba ejus inter alia ſunt; *Alludit quidem Propheta noſter ad ſeptuaginta annos Jeremiæ: & miror hoc à noſtris non fuiſſe expenſum? quia nemo eſt, qui cauſam afferat, cur annos ſupputet Daniel per hebdomadas.* Addere licet, quod conſultò Deus per annos *Sabbaticos* fluxuram abhinc annorum ſeriem uſque ad Chriſtum deduxerit, quia Chriſtus in eorum fine adducturus erat שנת רצון, annum beneplaciti Jehovæ, in

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

quo ſanguine fuſo, etiam in die *Cippurim* expiationis veræ, plenam ac veram שמטה / hoc eſt; omnium debitorum noſtrorum *remiſſionem*, *ſervitutis* ſub Diabolo ac peccato abolitionem, ac cæleſtium *habitaculorum* reſtitutionem mereretur, ac *tuba* Euangelii per omnem orbem proclamaret; quo & ſpectant fortè ſequentia Angeli verba mox explicanda.

X. De his porro ſeptimanis pronunciat Angelus, quod ſint נחתך׃ Eſt vox hæc una ἐξ ἅπαξ λεγομένων, nec alibi in ſacris occurrit. Apud Rabbinos tamen frequens eſt ſenſu *ſecandi*, *præcidendi* &c. apud quos etiam voces derivatæ ſunt חתך & חתיכה *fruſtum*, *ſciſſio*, *ſectio*. Convenit ſignificatione juxta *Kimchi* cum גזר *excidit*, *præcidit* & juxta alios etiam cum חרץ, ſenſu eodem. Propriè ergò radix חתך notat *ſcindere*, *reſecare*, *præcidere* &c. Quem ſignificatum etiam LXX. exprimere voluerunt per ſuum συνετμήθησαν: licet enim συντέμνειν propriè *concidere* notet, LXX. tamen *Interpretibus* ut & aliis ſæpe ſumitur pro *præcidere*, *abſcindere Eſa*. x. 22. 23. Habent etiam voces ſynonymæ גזר & חרץ eleganti metaphorâ ſignificatum *decernendi* ac *definiendi*: unde & idem huic noſtro חתך denegari nequit ob analogiam. Atque hoc poſteriori ſenſu vocem communiter Interpretes verterunt, *definitæ*, *determinatæ*, *decretæ*, *ſtatutæ* ſunt *ſeptimanæ* LXX. Ita & *Belgæ*, *ſijn beſtemt*, communibus quaſi calculis ordinatæ. Metaphoricam hanc ſignificationem ita tamen à quibuſdam urgeri nollemus, ut excludatur prorſus propria vocis notio, unde metaphora deſumta eſt. Putamus enim hæc non debere ſejungi, ſed conjungi; ut dicat Angelus, LXX. Septimanæ *decreto* Numinis immutabili *præciſæ*, *reſectæ*, *abſciſſæ* ſunt. Utique ſi præciſæ ſint, à quo ergo? nonne voluntate & decreto Dei qui tempora in manu ſua habet; rurſus ſi *decretæ* & *definitæ* ſint, nonne vi vocis & metaphoræ ita *decretæ*, ut per hoc *præciſæ* ſint ab omni tempore circumſtanti? Vult ergo Angelus dicere, LXX. Septimanas immutabili voluntate divina ſtatutas eſſe, ut *certò* fluant ſuper populum Danielis, imo ſic ſtatutas eſſe, ut *præciſè* ab omni alio tempore circumſtanti nec *plures* nec *pauciores* fluxuræ ſint. Nec quicquam obſtat difficultas, quam movet *Rainoldus*, quaſi *ſi præciſè urgeremus vocis ſignificationem*, *atque ita ut non ſolum definire & ſtatuere*, *verum etiam præciſe ſtatuere ac*

de-

definire ſignificet, *non eſſent anni* 490. *ſed pauciores. Nam*, inquit, *decidere aut præcidere eſt aliquid ex ipſa ſumma detrahere.* Id verum quidem eſt, ſed ita applicandum neceſſario huic rei, ut dicimus, LXX. has ſeptimanas decreto Dei eſſe præciſas & amputatas ex majori temporis ſummâ, quam quidem, ſi ita lubuiſſet, conſtituere potuiſſet Deus. Illud enim quod præciditur, amputatur modo ab omni re circumſtanti, ac per id terminos ſuos & fines ſuos proprios accipit. Quo ſenſu verbum *abbreviare* forte ſumſit Latinus Interpres, ut idem ſit ac aliquid amputare de toto, quod eatenus abbreviatur, quatenus ſuos terminos accipit, ac unum continuum cum toto eſſe deſinit. Ita *Corn. à Lapide*, qui ut verſionem hanc ſuam Vulgatam in commodum ſenſum pertrahat, hedomadas *abbreviatas* dici putat, quòd *paucæ ſeptimanæ definitæ ſunt uſque ad Chriſtum*, *cum Deus longè plures potuiſſet ſtatuere.* Notari tandem meretur conſtructio irregularis, juxta quam verbum נחתך in ſingulari jungitur nomini plurali. Qualis conſtructionis Hebræis & Græcis haud infrequentis exempla alia produxere *Grammatici* Vid. *Glaſſ. Lib* III. *Tract.* III. *Can.* LII. Hoc fieri creditur, quando aliquid non modo ad univerſos, ſed & diſtributivè ad ſingulos referri debet; ſic *Gen.* XLIX. 22. בנות צעדה עלי שור *filia* (ſc. vitis id eſt rami ejus) *procedit ſupra murum*, id eſt, *unaquæque earum* procedit. Itaque hac conſtructione denotatur particularis deciſio ac determinatio, non tantum univerſæ ſummæ LXX. hebdomadum, ſed & ſingularum in iſta ſumma *partium*, quin & annorum, ita ut ne quidem unus vel addi vel demi debeat. Alias conſtructio hæc fundatur in ſeptimarum collectione in unum temporis ſpatium.

XI. Subjectum porro, ad quod hæc temporis menſura extrinſecus ordinata eſt, eſt Populus Judaicus, & Sancta Hieroſolyma. Ita porro habet ſacer textus על עמך ועל־עיר קדשך *ſuper populum tuum & ſuper civitatem ſanctitatis tuam.* Videtur *Clar.* L. Empereur urbem à ſanctitate diſtinguere, quando hunc in modum ſuper hæc verba commentatur; *Septimanæ* 70. *à Deo ſunt deſtinatæ & conſilio æterno præciſæ, quibus populus tuus Judaicus ædificet, & deinde ut vera Eccleſia inhabitet civitatem Jeruſalem, unà cum ſanctitate tuà, id eſt Templo Sanctiſſimo.* Verum abſque ullâ neceſſitate ellipſis conjunctionis ſic in textum intruditur, multoque convenientius vox קדשך ut nomen rectum antece-

den-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

denti עיר ut voci regenti ſubjungitur, ſicuti aperte ſatis Angelus, bis repetita præpoſitione על, non tria, ſed duo tantum orationis membra facit. Affixum porrò ךָ, quod nomini recto adhæret, ad regens referri debet, ut commodus inde ſenſus oriatur, unde vertenda verba ſunt *ſuper urbem ſanctitatis*, non *tuæ*, ſed *tuam*. Conſtructionis hujus alia exempla dant Grammatici. E plurimis hæc duo habe. *Quum invoco, exaudi me* אלהי צדקי *Deus juſtitiæ meæ*, id eſt, *mi Deus juſtitiæ*, ſeu *juſtiſſime Pſ.* IV. 1. Rurſus *Pſ.* LIX. 11. juxta τὸ *Keri*, & 18. אלהי חסדי *Deus benignitatis meæ*, id eſt, *mi Deus benignitatis*, ſeu *benigniſſime*. Eſt & alius Hebraiſmus, quando civitas *ſanctitatis* ponitur pro *civitate ſancta*. Sic enim Hebræis familiare eſt *Vir fortitudinis*, *violentiæ &c. Deus benignitatis*, *juſtitiæ*, pro *viro forti*, *violento &c. Deo benigno*, *juſto &c.* Uti porro populus Judaicus, non obſtante captivitate ducta, Dei populus manſerat *verſ.* 15. 16. 19. ob fœdus cum ipſis olim erectum, neutiquam à parte Dei, etiamſi ſeverè caſtigantis, ruptum, ita etiam *populus Danielis* recte vocatur ab Angelo. Quod fieri credimus, eam ob cauſam, quia conterranei erant, ac ejuſdem ſtemmatis cum Daniele Judæi; magis vero, quia eodem rege ac eadem lege uniti, gentem ſanctam סגלה Dei, ac λαὸν περιούσιον ex omnibus aliis populis ſingulariter hactenus electum conſtituebant, ac eapropter ipſe Daniel eorum cauſam apud Deum egerat conf. *Exod.* XXXII. 7. *Jeruſalem* perinde, uti *civitas ſancta* ſæpius vocatur, etiam qualis erat poſt captivitatem Babylonicam *Matth.* IV. 5. XXVII. 53. &c. ita revera ſic dici heic meretur. Equidem ſegregata olim ad cultum Dei, ejus nunc publica ſedes rurſus futura erat, *eligente* eam Jehovah *Zach.* III. 2. ut menſam quotidie ibi inſtructam, ignem focumque ſuum iterum haberet, non obſtante quorundam glorioſæ præſentiæ ſuæ ſymbolorum forte defectu. Ad eam quoque pertinebat Daniel jure nativitatis forſan in ea, ſaltem jure religionis, ut Iſraelita, quorum omnium communis urbs Jeruſalem, atque pro ea reſtauranda precibus calidis apud Deum interceſſerat, unde & Angelus ſuper civitatem ſanctam *tuam* dicit. Quod affixum LXX. ex Editione Romanâ, ut & Clemens Alex. ac Tertullianus quoad poſterius membrum non expreſſerunt.

XII. Quando jam *ſuper* hunc populum, urbemque ſanctam

LXX.

LXX. ſeptimanæ præciſe decretæ dicuntur; ſupponitur Hieroſolymam jam ſolo æquatam ac cineribus obrutam mox reſtaurandam, unâ cum Templo, ut ſit civitas & quidem *ſancta*, ad cultum Dei publicum ſegregata, in qua Sancto Iſraelis ſacra facere ac victimas denuò epulari fas eſſet, atque a populo hoc rurſus eam inhabitandam fore. Innuitur porrò, eatenus populum ac civitatem eſſe ſubjecta hujus temporis, quatenus rurſus conjuncta ac in integrun reſtituta ſint: ut adeo hæ hebdomadæ non poſſint videri lapſæ eſſe vel totaliter, vel quoad notabilem annorum partem, quando populus nondum eſt reductus, & urbs necdum cæpta ædificari; ſed initium demum ſumant à verbo liberationis, ac illud mox ſecuta reductione populi ad civitatem ſanctam inhabitandam & reædificandam; quod factum non eſt intra unius anni breve ſpatium. Declarat tandem Angelus characterem termini ſeptimanarum harum, ac menſuram durationis *populi* ac *civitatis ſanctæ* ſic circumſcribit. LXX. nempe ſeptimanas conſtituerat Deus, ut fluerent ſuper eam; quibus finitis finem quoque ſuum ſortiri debebat. Equidem determinare certum ac præciſum tempus ſuper aliquid, quid aliud notare poteſt, quam tantum temporis ei dare & concedere, quo duret adhuc, & quo ad finem lapſo, eſſe quoque deſinat? Nec objici debet, non legi heic *abſolute* LXX. ſeptimanas eſſe deciſas ſuper populum & civitatem ſanctam, ſed expreſſo addito termino, uſque ad claudendam prævaricationem &c. quam interpretationem *Tremellii* laudat & ſequitur *Pareus*. Non enim ſufficit ita poſſe forſan, ſed & debere heic verti præfixum ל Patebit mox ſignificationem hujus præfixi *finalem* uſitatiſſimam præferendam eſſe; nec Angelum dicere LXX. Septimanas deciſas eſſe ſuper urbem ſanctam *uſque ad* illa beneficia, ſed *ut* illa adducantur per Meſſiam in fine earum. Ita verò menſuram durationis populi ac civitatis ſanctæ heic reperimus, ut tamen non colligamus hinc cum *Scaligero*, *Calviſio*, aliiſque, terminum ſeptimanarum harum eſſe excidium populi & urbis finale & totale per Romanos. Sed id contendimus, quod Judæi hiſce Dei verbis ab Angelo edoceantur, quamdiu peculiaris Dei populus jure vocari poſſent, atque Jeruſalem eorum civitas pro ſancta, id eſt, ad cultum Dei publicum ſegregata jure habenda eſſet, nimirum LXX. annorum hebdomadas:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

Harum itaque finis tum erit, quando Judæi ſe ipſos abdicabunt regimine Dei, ac Regem ſuum ac rupem ſalutis ſuæ protervè rejicient, clamantes οὐκ ἔχομεν βασιλέα εἰ μὴ καίσαρα *Joh.* XIX. 15. *quando* Meſſias heic promiſſus ſacrificio corporis ſui oblato *ceſſare faciet ſacrificium & munus*, quæ hactenus ſanctitatem Hieroſolymæ dederant, ac intergerino illo cæremoniarum pariete per crucem in carne ſua fracto inimicitiam inter Judæos ac gentiles abolebit pace facta; quando denique Meſſias *princeps* factus atque exaltatus Spiritum ſuum mittet ex alto, atque relicto Templo materiali, impoſterum corda ſolummodò fidelium in Templa ſacroſancta ſibi per eum conſecrare, ſimul etiam ſceptrum potentiæ ſuæ è Tſione protendere, ac Euangelium regni ſui, quod eſt libertatis, annunciare incipiet. Aperte Angelus in hiſce rebus finem ſeptimanarum ponit in ſequentibus, uti videbimus. Et hæc cuncta ejus naturæ eſſe, ut prærogativam Judaicæ gentis, tanquam populi Dei peculiaris, ac Hieroſolymæ, tanquam Civitatis Sanctæ, enervent, comprobarunt prodigia, quæ in urbe iſta eodem tempore facta ſunt. Laceratio veli, Sancto Sanctorum obtenſi, circa mortem Chriſti, dictabat, terreſtre Tabernaculum non amplius pro habitaculo ſuo ſancto haberi velle Deum, expiationes annuas & cultus Leviticos, quamvis eos de facto adhuc aliquot annos toleraret, inutiles tamen, nec ſibi acceptos fore, propter ſanguinem Filii ſui fuſum, qui taurorum ac hircorum illum ſiſtere debebat. Inter oſtenta miſerandæ ac ultimæ gentis hujus exciſionis memorat *Joſephus* etiam vocem die quodam Pentecoſtes ſacro, à ſacerdotibus, nocte interius Templi ſeptum ad ſacra celebranda ingreſſis, poſt motum ſtrepitumque animadverſum primò, auditam, quæ clamabat, *Migremus hinc. de Bello Judaico. Lib.* VII. *Cap.* 12. Hieronymus ad tempus paſſionis Domini hoc refert, uti & Euſebius facere videtur in Chronico ad annum Domini XXXIII. quod perſtringens Caſaubonus confidenter hoc prodigium anno ante captam everſamque urbem ſexto, Chriſti 65. adſcribit, Excercit XVI. §. XCIII. ad Annales Eccleſ. Baronii. *Cum annum, quo id factum eſt, non notet Joſephus,* inquit *Lud. Cappellus in hiſt. Jud. Comp* p. 135. *ſuſpicari quis non immeritò poſſit, contigiſſe id die illo Pentecoſtes, quo Spiritus Sanctus in Apoſtolos à Chriſto miſſus eſt. Tum enim propriè videtur*

Haſchecinah Judæos & Templum deſeruiſſe, ut ad Chriſti Diſcipulos tranſmigraret. Atque hæc vox apertum eſt rejectionis Judæorum & totius legalis cultus abolitionis Teſtimonium. Quam *Cappelli* obſervationem non *negligendam* dicit *Cloppenburgius*, licet addat ἐπίκρισιν ſuam *Diſput. Select.* XI. §. XXXII. Prædictio verò talis de abolendis ceremoniis atque diſcutiendis umbris præſentiam corporis ipſius & adventum Meſſiæ exſpectatum includit. Unde gravis ea eſſe nequit Iſraeli vero, ſed defectori quidem & ſtupido, terrena magis quam cæleſtia, corticem quam nucleum ambienti. Etenim verus Iſrael cerimonias legales ac urbem terreſtrem unice amat propter Meſſiam, per eas præfiguratum, ac hac ſtante manifeſtandum, quo exhibito, non amplius τὴν νῦν ſed τὴν ἄνω Ἱερουσαλὴμ quærit ac deſiderat.

XIII. Videtur quidem Chriſtus ſanctitatem adhuc tribuere Hieroſolymæ, quando ab Romano excercitu cincta, jam delenda erat: *Quum ergò videritis* τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως ἑστὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ *abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto Matth.* XXIV. 15. Verum animadvertendum eſt, ſanctitatem urbi competiiſſe eò tempore, quo Chriſtus hæc prænunciabat, & à præſenti prærogativa illum urbem circumſcribere. Nec repugno, quod Chriſtus ita urbem appellare potuerit, etiam cum reſpectu ad id tempus, quo à milite Romano obſeſſa erat; ſiquidem hodie etiam Palæſtinam *terram ſanctam* nominare poſſumus, & nominamus vulgò, non quod talis hactenus ſit, ſed olim fuerit. Et cum de facto urbem Templum ac cultum Leviticum tolerarit Deus, licet de jure abrogatum, uſque ad πανολεθρίαν reipublicæ Judaicæ, ut honeſtè ſepeliriretur vetus Synagoga, manſit eo ſenſu quadantenus civitas ſancta & magni Regis, quamdiu manſit.

XIV. Totum hoc intervallum dederat Deus Judæis, ut conſilium ſuum de liberatione peccatoris per ſanguinem Filii ſui exequeretur. Ideo pergit Angelus, לכלא הפשע ולחתם חטאות ולכפר עון ולהביא צדק עלמים ולחתם חזון ונביא ולמשח קדש קדשים *Ad claudendum defectionem, & ad obſignandum peccata, & ad expiandum iniquitatem, & ad adducendum juſtitiam ſeculorum; & ad obſignandum viſionem & Prophetam, & ad ungendum Sanctum Sanctorum.* Totidem hæc ſunt beneficia, olim adducenda, quorum intuitu has LXX. ſep-

aima-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

aimanas populo Judaico Deus conceſſerat. In his recenſendis eum ſervat ordinem Angelus, ut primo quæ mala auferenda, deinde quæ bona adferenda eſſent declaret.

X V. Ante omnia inquirendum eſt in ſignificationem præfixi ל. Supra attigimus *Tremellium*, eumque ſecutum *Pareum*, id vertere per *uſque ad*, ut ſic notetur terminus ad quem ſeptimanarum duratio extenſa eſſet. Eodem ſenſu legitur apud *Theodoretum*, ἕως τοῦ παλαιωθῆναι τὸ παράπτωμα; ſimiliter & apud *Tertullianum*, *Quoad uſque inveteretur delictum.* Non caret forte exemplo uſus præfixi talis cum infinitivo conſtructi. Conferri poſſunt *Levit.* XXIV. 12. 2 *Chron.* XXXVI. 21, *Jeſ.* VII. 15. &c. Longe frequentius tamen præfixum hoc uſurpatur ad denotandam cauſam finalem, cujus gratia aliquid fit. Exempla adducere in re nota ſupervacaneum eſt. Atque ita rem intellexerunt vulgò Interpretes, quorum alii *gerundium in dum*, allii conjunctionem *ut* adhibuerunt. *Græci* τοῦ συντελεσθῆναι, καὶ σφραγίσαι &c. Hoc poſterius præferendum judicamus, ſiquidem ſic Angeli reſponſio bellè convenit cum petitione Danielis. Hic petierat urbis ac populi reſtitutionem *propter Dominum*; Ille declarat futuram eandem *propter Dominum*, opuſque gratiæ ab ipſo conſummandum. Scilicet exigebat Divini conſilii ratio, ut promiſſus Meſſias intra limites terræ Canaanis appareret; unde *terra Immanuelis* dicitur *Jeſ.* VIII. 1. Semen illud Abrahamo promiſſum ibi oriundum erat; quod credidit ille, quando exiens è terrâ ſuâ in peregrinis illis oris tentoria fixit *Heb.* XI. 1. 9. Poſtulabat itidem prorſus divina veritas, ut *Dominator* Iſraelis prodiret ex *Betlehem*, tanquam civitate tribus Judæ, atque reipublicæ Judaicæ membro *Mich.* V. 1. & ut in Tſion germinaret cornu Davidis, quod ſceptrum potentiæ ſuæ, verbum Evangelii inde protenderet, ac ibi latiſſimi imperii ſui fundamenta jaceret *Pſ.* CX. 2. CXXXII. 17. *Jeſ.* II. 3. *Mich.* IV. 2. Neceſſum ergo erat ut Judæi reducerentur in terram hanc patriam, & Tſion ac Templum reædificarentur, & ſtarent in adventu Meſſiæ, qui ibi naſci, verſari, ſalutem operari, ac regnum auſpicari debebat. Hinc eſt quod pronunciat Angelus ſeptimanas LXX. datas eſſe populo reducto & urbi ſanctæ inſtauratæ, *ut*, nimirum per Meſſiam principem, interea *claudatur defectio.* Neque tantum hoc in loco, ſed & alibi Deus

notum

notum fecit Judæis, ſe captivitatem illorum in Babel non relaxaſſe intuitu dignitatis aut meriti in ipſis, ſed propter Chriſtum & futuram ab ipſo redemtionem, quatenus etiam apud ipſos reductos in terram peragi deberet. Præter *Ieſ.* x. 2. aliaque, locus in hanc rem eſt notabilis *Zach.* IX. 11. *Etiam Tu*, (ô Filia Sion) *in ſanguine fœderis tui emiſi vinctos tuos è fovea, in qua non* eſt *aqua.* Horum verborum amplam exegeſin hic addere chartæ anguſtia prohibet.

XVI. Sed progredimur ad ipſa beneficia. Ut eò melius ſenſum verborum ſequentium aſſequamur, non inutile erit, priuſquam ſententiam noſtram promamus, audire quid alii dixerint. Quod ut commodè fiat, non ad ſingula verſus enunciata carptim aliorum exegeſes annotare, ſed ad univerſa eas complexim exhibere animus eſt. Audiamus ergo primò Judæos. *Jachiades*, poſtquam LXX. שמיטות à tempore vaſtationis ædis primæ, uſque ad vaſtationem ædis ſecundæ, numerandas eſſe inculcaſſet, atque פשע peccatum במחשבה cogitatione commiſſum, juxta *Pſ.* XXXVI. 2. חטאה peccatum במעשה opere externo patratum, juxta *Prov.* I. 10. עון peccatum בדבור ſermone externo prolatum eſſe, notaſſet; addit, ex verſione *Clar. L'Empereur*, (quam ſolam exhibebo, ne Lectori utriuſque textus citatione gravis fiam,) in captivitate Babylonica iniquitates & peccata conſumpta non fuiſſe. *Nam ecce*, inquit, poſtea *in æde ſecunda denuò redierunt ad peccandum, quemadmodum prius. Sed in exilio hoc ſecundo conſumentur atque finientur omnes iniquitates: quia tam grave exilium expiabit iniquitatem; nec peccabit amplius Iſraëlitica domus. Quocirca ſub finem illius regnum quintum adveniet Jſraëlitis, & adducetur Juſtitia, id eſt tabula ædis æternæ in Sanctuarium, quæ defuerunt in æde ſecunda, & obſignabitur atque ſigillabitur viſio & Propheta, quia effundet Deus Spiritum ſuum ſuper omnem carnem, & filii ſomnia ſomniabunt, ætatis quamvis immaturæ, cum in æde ſecunda defecerit Prophetia. Et ad ungendum Sanctitatem Sanctitatum oleò unctionis, quum defecerit hoc oleum in æde ſecunda.* Conſentit fere *Menaſſeh Ben Jſraël. de Term. Vitæ Lib.* III. *Sect.* VI. §. VI. *Hebdomades ſeptuaginta &c. Hic illi denuntiatur præſens libertas, & futura aliquando nova ac dura populi captivitas, per quam ab omni peccatorum reatu Jſraël mundaretur.* Et paucis

inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

interjectis ita pergit. *Itaque cum dicit*, *deciſa ſuper populum ad conſumendum prævaricationem iniquitatem & peccata*, *tantum eſt*, *quaſi diceret*, *poſt conſummationem CCCCXC. annorum ſequetur ea populi tui captivitas*, *qua purgabitur ab idololatria*, *homicidio & adulterio*, *quæ ſunt tria maxima peccata. Et poſt peractam hanc mundationem ſequetur tempus Juſtitiæ*, *juxta illud*, & ad adducendam Juſtitiam ſeculi, *id eſt*, *non erit amplius peccatum*, *ſed ut Jeſaias ait Cap.* LI. 8. Juſtitia erit ſemper. *Alibi item Cap.* X. 21. Et populus tuus omnis erit juſtus. *Atque idem omnes atteſtantur Prophetæ. Subdit porro Daniel*, *ad* ſigillandum viſionem & Prophetam, *quaſi diceret omnes Prophetiæ tum obſignabuntur*, *quatenus eæ omnes*, *quæ futuræ erant*, *complebuntur. Vel ea Prophetæ mens*, *tum auctiorem fore vim Prophetiæ. Quippe Deus apud Joël* ait, effundam Spiritum &c. *Præterea ait*, *ad ungendum Sanctitatem Sanctitatum*, *id eſt Sanctum Sanctorum. Nam in ſecundo templo non fuit unctum*, *quia non foret æternum. Et poſt hæc vult dicere Propheta*, *finita Prophetia & Sacrificia inſtaurabuntur*, *quibus hodierno die caremus.* Hæc *Menaſſeh.*

XVII. Obſervamus primò generatim contra has Judaicas Gloſſas I. Male finem LXX. Septimanarum poni ab ipſis in ultimo per Romanos excidio; qui error eo craſſior eſt, quod ſimul initium habdomadum ſtatuant in deſtructione ædis primæ per Chaldæos. II. Non poſt finitas hebdomadas, ſed intra illarum ſpatium, hæc evenire debuiſſe. Ideo enim hæ ſeptimanæ populo reſtituto & urbi *Sanctæ* inſtauratæ conceſſæ erant, ut apud eum, ac in eâ, bona hæc adducerentur.

XVIII. Secundo ſpeciatim, & quidem quantum ad verba priora, ad peccatorum ablationem ſpectantia, dicimus, audacter *Menaſſeh* cum *Abarbenele* reſtringere peccata expianda ad *idololatriam*, *homicidium*, & *adulterium* vel *inceſtus*; cum tamen Angelus indefinite loquatur. Nec cohærent hæc verba *Menaſſeh* cum iis, quæ antea dixerat de Iſraëlis mundatione ab *omni* peccatorum reatu. Melius *Jachiades* omnia heic peccata *oris operis* & *cogitationis* intellexit. Videtur & huic *Menaſſæ* exegeſi ſubeſſe hæc erroris πρόφασις, quod עַל הַשְּׁגִיאוֹת *propter errores* & leviora peccata exitii rei non fuiſſent; & quod hodie nullo modo peccatis illis patrum conſentiant, iiſque ſuf-

fra-

fragentur, ſed ob patrum peccata tantum pœnas luant contra, *Ezech.* XVIII. 2. 3. Certe diſſimulat uterque veram exilii hujus cauſam, quæ eſt, quod *Filium exoſculati* non fuerint *Pſ.* II. 12. *Rupem ſalutis* ינבלו *contumeliis* affecerint, ut *ſtultum* ac *improbum* נבל tractaverint, imo נבלה *Cadaver* fecerint *Deut.* XXXII. 16. Jehovah צבאות factus למקדש *in Sanctuarium*, per aſſumtionem humanæ naturæ, in qua ἐσκήνωσε ut in Templo ac Tabernaculo habitavit inter homines *Ioh.* I. 14. ipſis fuerit lapis offenſionis & rupes ſcandali *Ieſ.* VIII. 14. 15. & quod Meſſiam principem occiderint *v.* 26. 27. Triplici porro adhibito verbo כלא/ חתם/ כפר/ ablationem reatus ſolam *Menaſſeh*, *Iachiades* verò etiam abolitionem maculæ, ipſiuſque peccandi actus, exprimi credit. Hic quidem malè, ſi abſolutam ἀναμαρτησίαν, quæ in hac mortali vitâ nunquam eſt expectanda I *Reg.* VIII. 46. *Eccleſ.* VII. 20. his in verbis intelligat, *nec peccabit amplius domus Iſraël.* Ambo autem pertinaciter errant in eo, quod expiationem hanc promiſſam per hodiernam captivitatem duram, longeque extenſam, abſolvendam velint. Hoc quidem neutiquam dicit Angelus, nec dicerent hi Judæi, niſi animum divino judicio contra veritatem obduraſſent. Aliter certe veteres Judæi, qui juxta relationem *Menaſſeh* hæc verba, *ad conſummandum prævaricationem*, ita expoſuerunt, *ut poſt expirationem* LXX. *hebdomadum*, & adventum Meſſiæ, *peccata remitterentur.* Hæc recte ſe habent; peccatorum remiſſionem petierat Daniel, eam & annunciare debuit Angelus, ſiquidem preces ipſius exauditæ eſſent, uti ſupponunt quoque hi Judæi; quod & facit his verbis, promittens remiſſionem actu promerendam ſanguine Meſſiæ excidendi, abſque quo ἐ γίνεται ἄφεσις. Nec ſolum ſcopus & occaſio hujus Prophetiæ, ſed & contextus, & verba ipſa, & rei natura, & analogia legis & Prophetarum palam Judæis refragantur. Quæ ſingula paucis oſtendemus.

XIX. Teſtatur Angelus v. 22. ſe prodiiſſe ut *Danielem* imbueret *intelligentia.* Ipſe *Iachiades* ad verba illa v. 23. ובין בדבר/ hanc inſtituit paraphraſin, *qua propter* בין בדבר המפרש אשר אומר/ *intellige verbum planum*, explicitum, clarum, *quod loquar.* Minimè verò ſenſu Judaico accepta hæc verba ſunt clara plana & expoſita, & apta ad intelligentiam

 dan-

dandam Danieli. Imo potius quodvis aliud ex *occluſione, finitione, expiatione*, peccati cogitare ipſi promptum erat, quam Iſraelis atroci hac calamitate punitionem horrendam. Etenim pœnas exigens Deus plane contrariis phraſibus deſcribitur in ſacris, ut quod peccatum *viſitet, revelet*, peccatori *ob oculos ordine diſponat*, *ſibi* ac *lumini faciei ſuæ proponat*, ejuſque *recordetur* &c. *Exod*. XX. 5. *Thren*. IV. 22. *Pſ*. L. 21. XC. 8. *Hoſ*. IX. 9. E contra remiſſio peccatorum penè iiſdem & ſimilibus phraſibus exprimitur, quales ſunt peccatum *non intueri*, *tegere*, *in profundum maris abjicere*, *removere*, ejuſque *non recordari* &c. *Num*. XXIII. 25. *Pſ*. XXXII. 1. *Mich*. VII. 19. *Zach*. III. 9. *Ier*. XXXI. 34. Et ne cavillentur Judæi, peccata heic non dici occludenda, obſignanda, uti nos vertimus, ſed *finienda*, *conſummanda* juxta aliam lectionem & interpretationem, de qua mox uberius, ſcire oportet, etiam hac phraſi remiſſionem peccati pœnæque ablationem ſignificari in ſacris, eamque opponi viſitationi iniquitatis ac propter eam punitioni. *Thren*. IV. 22. תַּם עֲוֺנֵךְ *conſumta, finita eſt iniquitas tua, ô filia Tzion, non perget in deportatione relinquere te: viſitabit tuam iniquitatem ô filia Edom, reteget peccata tua, vel deportabit te propter peccata tua.* Utique *expiare peccatum* non poteſt notare, punire ipſum peccatorem & ſontem pro inſonte non habere, provenit enim ex miſericordia divina, & ubique in ſcriptura iræ divinæ ac perditioni ipſius peccatoris opponitur *Pſ*. LXXVIII. 38. &c. Neutiquam ergo דבר המפורש verbum planum & expoſitum ſatis exhibet heic Angelus, ſi id dicere voluerit, quod Judæi contendunt. Deinde *rei natura* quoque non patitur ut hodierna gentis calamitas peccati ſui, patrumque ſuorum, ſit expiatio. Nihil enim Lex habet de expiatione peccati propter pœnam, vel afflictionem quamcunque temporalem, ſed pœnam imponit æternam, abſolutamque omnibus numeris maledictionem denunciat *Deut*. XXVII. 13. 26. & meritò, quoniam infinitæ majeſtatis læſionem non niſi infinito ſupplicio puniri, æquum eſt. Nullus ergo homo ſibi perſuadeat unquam, ſe pretium redemtionis pro anima ſua vel etiam aliena Deo ſolvere poſſe. *Vir fratrem redimendo non redimet* לא יתן לאלהים כפרו *nec dabit Deo redemtionis ejus pretium*, & quare non, ויקר *pretio & pondere nimis grave eſt enim*, פרוין נפשם *redemtionis illud pretium*

ani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

anima eorum, quod ſi ab homine ipſo ſolvi deberet, *ceſſaret in ſeculum Pſ.* XLIX. 8. 9. *Ego, Ego ipſe deleo defectiones tuas propter me,* למעני / *& peccatorum tuorum non recordor*, dicit ideo Jehovah *Ieſ.* XLIII. 22. Et niſi dudum à Lege defeciſſent Judæi, ex illius *analogia* proculdubio didiciſſent hanc ſuam captivitatem eſſe non poſſe expiationem peccatorum patrum. Docet enim Lex, quod qui ipſe reus ſit pro alterius reatu intervenire non poſſit, idque præſertim in ſummo Pontifice, quem debito prius exſolutum voluit Deus, antequam provinciam exſolvendi debito populum ſuſciperet *Levit.* XVI. 6. 11. Præterea juxta legem nulla erat expiatio peccati, niſi per ſacrificium, & ſanguinis fuſionem. *Nam ſanguis ille*, qui eſt nempe in altari, *pro anima expiabit Levit.* XVII. 11. Unde & *Paulus* benè eruditus in lege pronunciat; *Et omnia fere juxta legem ſanguine purificantur*, καὶ χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις *Heb.* IX. 22. Nec diffitentur hoc Judæi vulgò; interrogati enim de cauſa diuturni hujus exilii, reſpondent, ideò ſe hactenus reſtitutos non eſſe, quia carent hoſtia & ſacrificio ob defectum loci legitimi, quod unicum eſſet iram Dei ſedandi medium. Ita juxta *Origenem* ab ævo locuti ſunt. Quod dum faciunt, rectè agnoſcunt ſe indigere victima piaculari, quæ coram irato ob ſcelera Numine vices eorum in ſubeundis pœnis ſuppleat. In eo autem perniciosè errant, quod vim expiandi brutorum animalium ſanguini deputent, cum ille olim nil, niſi τῆς σαρκὸς καθαρότητα, effecerit, & veram animarum purificationem meliori & unico infiniti valoris ſacrificio Filii Dei peragendam credentibus obſignaverit; hinc ſingulis diebus & ſolenniter quotannis fundebatur rurſus, irrefragabili indicio illum ad animas haudquaquam ſufficere purificandas. Unde & Deus per ſedecim & amplius ſecula fundi ſanguinem ad altare noluit, poſtquam verus Pontifex cum proprio ſanguine cæleſte ſanctuarium ingreſſus eſt. Accedit tandem *analogia* prophetiarum, quibus frequenter *Iſraeli mundatio peccatorum* promittitur poſt captivitatem Babylonicam expectanda *Ier.* XXXI. 34. L. 18. 19. 20. *Ezech.* XXXVI. 25. 26. 29. *Zach.* III. 9. In hiſce & ſimilibus locis promittit Deus Iſraeli *mundationem* à peccatis, & quidem abſque ulla ejus *recoraatione*, aut judiciali *inquiſitione*, dum conſiderarentur, quaſi

 non

non exiſterent; & quidem per adſperſionem *aquæ mundæ* ſuper ipſum, & non propter plagarum ſine fine in ipſum immiſſionem; imo quod non prætereundum, ſe *iniquitatem terræ illius* è conſpectu ſuo *remoturum* teſtatur Deus *uno die*, *veræ* ſc. *expiationis* nunquam repetendo; non ergò per plures annos, multo minus per plura ſecula, ſed die unico apparitionis veri ſacerdotis, oblationis ſui ipſius, ac ingreſſus in Sanctuarium cæleſte. Hæc ergo captivitas non eſt expiatio peccati Iſraelis, ſic enim ejus *recordaretur* certe Deus in ira, ſic *quæreret* & *inveniret* cum judicio, neque ſic *aqua munda*, *pura*, *grata*, *refocillante*, ſed turbulentis iræ ſuæ rivis purgaret Iſraelem, & tandem non *uno die*, ſed continuo repetito in plurimis invicem ſuccedentibus generationibus ac ſeculis, Iſraelis iniquitatem removeret. Quid ergo? an fefellit Deus populum ſuum, prædicando pacem, cum gladius ad animam pertingeret? Abſit hoc à fideliſſimo Numine! ſed falluntur & fallunt hi Judæi, dum ante notatas Prophetias & hanc noſtram ita explicant, quaſi ad totum Iſraelem, etiam incredulum, pertinerent, cum tamen non omnes, qui ex Iſraele ſunt, *Iſrael* ſint, & hæ prophetiæ verum Iſraelem & genuinos filios Abrahæ tantum reſpiciant. Hujus autem obſervationis neglectus fons erroris Judaici eſt, ut ſibi ſtulte perſuadeant, hodiernum exilium eſſe mundationem à peccatis heic à Daniele promiſſam.

XX. Reliqua tria Angeli effata in bonam partem ſumunt Judæi, ſed in omnibus non eodem modo explicant. Quantum *ad adductionem juſtitiæ ſeculorum*, inepte *Jachiades* per עולמים *ſecula*, domum æternam tertiam adhuc ſc. extruendam, & per *Juſtitiam* הלוחות *tabulas* ſc. *legis*, in illud Sanctuarium reſtitutum inferendas rurſus, intelligit. Nullibi *tabularum* harum reſtitutionem pollicetur Deus, imo potius earum loco legem menti ſuorum inditurum ſe, cordique eorum inſcripturum, temporibus Meſſiæ teſtatur *Jer.* XXXI. 33. Hebrææ phraſi convenientius, *Juſtitia ſeculorum*, *Juſtitia æterna*, ſeu virtus juſtitiæ, in ſecula colenda, eſſe ſtatuitur à *Menaſſeh*, cujus verba *ſunt. Et ad adducendam juſtitiam ſeculi, id eſt, non erit amplius peccatum, ſed ut Jeſaias ait, juſtitia erit ſemper Jeſ.* LI. 8. *Alibi item, & populus tuus omnis erit juſtus Ieſ.* LX. 21. *Atque idem omnes atteſtantur Prophetæ.* Loquuntur quidem Prophetæ

phetæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

phetæ de Juſtitia conſummatiſſima, non in hominibus, ſed in *Germine Davidis*, quæ imputanda iis, qui ipſum vocarent יהוה צדקנו *Ier.* XXIII. 5. 6. Et de hac differit loco priori *Ieſ.* LI. 8. ipſe *ſervus* Jehovæ, pleniſſime *juſtificatus*, (*Cap.* L. 8.) וצדקתי *ſed juſtitia mea in ſeculum erit*, וישועתי *& ſalus mea*, fructus juſtitiæ meæ, per quam acquiſita eſt, *in generationem generationum.* Promittunt porro iidem egregium augmentum cognitionis, ſanctitatis, gaudii, tempore Meſſiæ conſpiciendum in fidelibus, dum omni conatu ad perfectionem in cælis reſervatam, adſpirant. Et de hac inchoata quidem, ſed eximia electorum poſt Chriſtum ſanctimonia in cælo plene conſummanda, loquitur *Ieſaias cap.* LX. 21. *Et populus tuus*, כלם *univerſitas eorum*, id eſt, *omnes pariter juſti* erunt. Non video certè quomodo hæc ἀναμαρτησία Iſraelis, quam tempore Meſſiæ in hiſce terris expectant Judæi, ſtare poſſit cum ipſorum hypotheſibus de ſacrificiis tum quoque inſtaurandis, ac libero arbitrio. Si enim *nullum* tum *erit peccatum*, quare ergo ſacrificia mactabuntur, quæ utique Deus ad expiationem præcipue inſtituit olim. Et ſi impeccabiles plane futuri ſunt, ubi eſt ergo indifferentiæ libertas? Et ſi actio timoris Dei *non pendet à Deo tanquam neceſſarius effectus à cauſa ſuprema manans, ſed tanquam effectus liber à cauſa libera, ſeu voluntate hominis libere agente producendus*, uti loquitur *Menaſſeh Lib.* III. *Sect.* VIII. quomodo Deus heic & alibi ſe ab Iſraelitis perfecte colendum eſſe certò prædicere poteſt? Non eſt dicendum in rebus ipſis earumque fatali nexu hæc videre Deum, quorſum tendunt, quæ habet Menaſſeh *Lib.* III. *Cap.* XI. ſic enim lata ad Atheiſmum via ſternitur: ſed in *liberrimo* decreto ſuo de producendis talibus effectis infallibiliter cernere eum iſthæc.

XXI. *Obſignationem viſionis & Prophetæ* explicat *Jachiades* ex *Joel* II. 28. uti etiam *Menaſſeh*, quaſi ſenſus foret, *majorem fore vim Prophetiæ*, Spiritusque Prophetici in hominibus quibuſcunque. Sed apparet *viſionem* & *Prophetam* non in genere donum Prophetiæ, ſed extantia modo Prophetarum oracula de rebus futuris ſignificare. Præterea *obſignandi* vocabulo ineſt quidem *virtutis* cujuſdam notio, ſed talis, quæ non ad perſonas prophetantes, ſed ad eorum dicta ac ſcripta referri debet. Hæc enim ſigillo *vim* ac firmitatem accipere ſolent. Et ſi *obſignatio*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

tio hæc ad prophetiæ donum reſpiceret, verius ejus ablationem, quam incrementum diceret. Unde & *Menaſſeh*, parum huic exegeſi fidens, alteram præmittit de *impletione* eorum, quæ prophetæ prædixerunt. Quæ recte ſe haberent, niſi hanc impletionem prophetiæ poſt finitam hanc captivitatem rejiceret Judæus; cum nil fere reſtet implendum, niſi ea, quæ de converſione Judæorum ad dudum natum Meſſiam prædixêre Vates.

XXII. Quæ Judæi ad ultimam hujus verſus pericopam commentantur, nituntur vulgari illa apud ipſos hypotheſi de Templo Tertio, quod ædificandum adhuc, atque *ungendum* foret in ſignum perpetuitatis ſuæ, & in ſupplementum defectus, qui fuit ſub Templo Secundo. Quam hypotheſin vanam eſſe paucis dicam. Scilicet eam rerum faciem, diebus Meſſiæ futuram, depingunt Prophetæ, quæ Templum materiale, omnemque Moſaicum cultum plane deſtruit. Omnes gentes venirent & incurvarent ſe coram Domino *Pſ.* LXXXVI. 9. quas utique nullum materiale Templum caperet. Omni in loco Deo munera offerrent & ſuffimenta adolerent, ab ortu ſolis ad ejus occaſum uſque *Mal.* I. 11. Altare Jehova haberet in media terra Ægypti *Jeſ.* XIX. 19. Præterea Omniſufficiens Omnipræſens & Spiritualis Numinis natura non patitur, ut ipſi ædes lapidea extruatur, ea habitaculum ejus nuncupetur, ac in ea ipſi cultus corporeus deferatur, niſi ſubſit myſterium & adumbratio rei altioris *Jeſ.* LXVI. 1. *Act.* VII. 48. 42. Qualis myſtica præfiguratio Meſſiæ cum fuerit olim in Templo, hoc tam diu conſervavit incolume Deus, donec umbram corpus diſpelleret, ac Chriſtus promiſſus appareret. Quo facto ſtatim oſtendit, totali urbis & Templi interitu, quod Numini altiſſimo in æde manufacta habitare indecens eſſet & indignum. Et quoniam ſpes Judæorum de Templo Tertio nititur opinione æternæ obligationis, quæ eſt in inſtitutis cerimoniis Moſaicis, ob quam adeo hæ olim, una cum Templo, reducendæ ſint, apparet, ſi cerimonias ad tempus modo injunctas fuiſſe adſtrui queat, hanc eorum expectationem Tertii cujuſdam Templi, cum cerimoniis arctiſſimum nexum habentis, vanam eſſe & inſipidam. Hujus autem veritatis, uti dari poſſent plurima irrefragabilia argumenta, ita nos unico hoc ratiocinio contenti erimus. Res animad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

madverſione digna eſt, quod Deus nullibi ſacrificia offerri voluerit, quam in loco, quem elegerat, Templo ſcil. Hieroſolymitano. Hujus autem à tot ſeculis everſio, novaque tentata per *Julianum*, ſed inſigni miraculo impedita reſtauratio, argumentum exhibet, quod mactatio pecudum & aromatum ſuffimenta ad eſſentiam religionis non ſpectent, ſed veræ fidei & pietatis exercitamenta corporalia, & Eccleſiæ infantilis ſtatui approportionata, fuerint, adeoque etiam ad adultiorem uſque ætatem modo injuncta. Cæteroquin enim locum hiſce peragendis deſtinatum non extirpaſſet Deus, vel ad eum unice illa non adſtrinxiſſet, atque populum ſuum neceſſariis religionis actibus ſeque ipſum principali ſibique placente cultu ſine fine & termino non orbaſſet.

XXIII. Dolendum eſt, quod Judæis occæcatis jungere debeamus virum Chriſtianum, qui æque ac illi, nihil heic de Chriſto videns, audaci inſtituto, nobile hoc contra Judæos vaticinium nobis eripit, atque ad ſuas hypotheſes verba tantum non omnia abſurdiſſimè lacerat, ac torquet; JOHANNEM MARSHAMUM puta, doctum ac nobilem Anglum, in *Canon. Chron.* ad *Sec.* XVIII. Supponit quatuor Danielis viſiones, ſex poſterioribus Capitibus enarratas, non ultra *Antiochi Epiphanis* tempora procedere, atque unam eandemque rem, ſed diverſis modis indicare, ſic ut prima ſecunda & quarta Hiſtoriam prænuncient, hæc autem tertia viſio etiam Chronologiam exhibeat. Diſpeſcit itaque totum vaticinium in duas partes. Prima continet ἀνάληψιν eorum, quæ à Daniele petita ſunt hoc Capite, atque promiſſionem de reditu Judæorum poſt ſeptem hebdomadas, numerandas ab anno vaſtitatis Hieroſolymitanæ viceſimo primo, quo *exiit verbum*, id eſt Angelus mandatum à Deo accepit, ut reſponderet Danieli de quæſitis. Pertinent ad hanc primam partem verba *verſ.* 24. & priora illa *verſ.* 25. *Scito ergo & intellige. Ab exitu verbi, ad reverti faciendum & ad ædificandum Jeruſalem, uſque ad unctum Ducem, hebdomades* VII. Altera pars continet revelationem novam de Templi prophanatione per Antiochum, futura poſt LXIII. hebdomadas cum dimidiâ, ſupputandas non ab reditu Judæorum, neque ab exitu verbi, ſed ab excidio Templi Salomonici. Hæc a nobis eo fine referuntur, ut Lectori pateat, ex quo fonte profluat

 ſequens,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

ſequens, quam exhibemus, paraphraſis ſuper ea, quæ præ manibus ſunt, ſex Angeli enunciata.

XXV. Hanc autem hunc in modum inſtituit. Ad conſummandum prævaricationem. *De prævaricatione Judæorum, qua prævaricati ſunt in Deum, vide verſ. 7. & deinceps. Senſus eſt: ut exilium, quo Deus puniit Judæorum contumaciam, finem accipiat. Vide 2 Reg. 24. 4. 5.* Ad obſignandum peccata; *Daniel* peccata *faſſus eſt verſ. 5. & deinceps. Senſus: ut peccatorum pœna finem habeat: Obſignari ſolent quæ completa ſunt. Sic in computo Judaico, ad obſignatam Miſna, ad obſignatum Talmud, id eſt, abſolutum.* Ad expiandum iniquitatem. *Ut luatur iniquitas; ut avertat ſe ira Dei verſ. 16. ut condonet Deus, verſ. 19. & Iudæis reconcilietur.* Ad adducendum Juſtitiam ſeculorum, *Æternam, Dei ſcilicet: cui tribuitur* Juſtitia ipſa *verſ. 7. & deprecatus eſt iram Dei contra Hieroſolymam, ſecundum omnes* ſuas juſtitias *verſ. 16.* Ad ſigillandum viſionem & Prophetiam. *Ut impleatur* Prophetia *Jeremiæ de Captivitatis fine; qui in hac* viſione *certo annorum numero, rurſus confirmatur.* Et ad ungendum ſanctitatem ſanctitatem. *Templum & Sacerdotium Sancti Sanctorum titulo inſigniuntur. Daniel queſtus eſt verſ. 17. de Sanctuario Dei deſolato.* De unctione *mox ad verſ. 26.* Apparet ex his, omnia hæc effata temporale & externum beneficium juxta ipſum continere, & impleri in reductione populi, ſolutione captivitatis, & reparatione Urbis & Sanctuarii ex Edicto & permiſſu Cyri Regis Perſarum. Fundamentum porro hujus exegeſios eſt, quod in his verbis ſit ἀνάληψις eorum, quæ à Daniele hoc capite petita ſunt. Petiit autem pœnæ præſentis in exilio graviſſimo, propter peccata populi inflictæ, remotionem, peccati adeoque remiſſionem, Urbiſque ac Sanctuarii devaſtati reſtaurationem.

XXVI. Verum adverſatur hæc exegeſis I. Verborum connexioni, quæ ita efferuntur ab Angelo, ut LXX. ſeptimanas dicat deciſas à Deo, eum in finem, ut conſummetur prævaricatio &c. Abſurdè autem quadringentos nonaginta annos quis diceret conſtitutos ad negotium quoddam procurandum, quod intra quadraginta novem annos fieri debebat. Et reſtitutionem populi & urbis non eſſe finem, ſed principium LXX. ſeptimanarum, patebit ad *v.* 25. II. Verborum emphaſi amplitudini

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

& indefinitæ propoſitioni. Ubi Daniel ſua & populi ſui peccata confeſſus modo eſt, ac Angelus de populo & urbe definitè locutus, heic indefinite de *peccatis defectione* & *iniquitate*, non ſolius Danielis, non Judæorum tantum, ſed omnium, ex quavis gente, electorum loquitur. Neque etiam Viſionem *hanc*, aut Jeremiam Prophetam unum, ſed in genere Viſionem & Prophetam, ſive Prophetiam quamcunque, collectivè, nominat. Et, quæſo, an liberatio Judæorum ex captivitate corporali & externa, quæ veriùs pœnæ quædam dilatio, quam ablatio dicenda eſt, reſpectu potiſſimæ gentis illius partis, olim obdurandæ ac penitus extirpandæ per Romanos, dici poteſt, *conſummatio*, *obſignatio*, *expiatio* peccatorum ejus? Etenim hæ phraſes, ita multiplicatæ, non pœnæ cujuſdam ſuſpenſionem, ſed pœnæ omnis cum corporis tum animæ ablationem æternam notare debent, niſi eas emphaſi ſua privare velimus. Haud malè quidem, *ut expietur iniquitas*, interpretatur, *ut luatur iniquitas*. *Luere* enim iniquitatem is dicitur, qui debitas pœnas dat pro peccato, vel qui pœnas ſubeundo obligationem peccati ad pœnam *ſolvit*, vel qui peccatum ſatisfactione *eluit* ac tollit. Liberationem itaque à reatu, idque propter pœnam debitam perferendam Angelus ſic promittit. Eſt ergo aliquis cogitandus, qui iniquitatem pœnas ſolvendo lueret. Populum Judaicum intendit Vir Doctus. Verum ſic non promiſſionem, ſed comminationem reperimus. Et cum conſummare, obſignare peccatum, adducere juſtitiam &c. ad Deum referatur, temere certe & contra ſeriem ſermonis, expiare ſeu luere iniquitatem populo tribuitur. Præterea antecedentia & conſequentia effata in reſtitutione populi impleri contendit Vir Doctus; ergo & hoc de expiatione peccati. Quod etiam vult; ſed ita, ut ad effectum expiationis & luitionis peccati, qui eſt averſio iræ divinæ ac Numinis reconciliatio, modo attendat; animadvertens facile ipſum τὸ expiare & luere iniquitatem, quod propriè pœnas dare pro peccato, atque hoc modo demum illius obligationem ad pœnam tollere, dicit, non poſſe locum habere, finita jam peccatorum pœna & captivitate triſti. Sed ſic rurſus proprietati emphaſi & amplitudini verborum adverſatur, quod ipſum feciſſe contendimus.

XXVI. Incerti ſumus, quid per *juſtitiam æternam* intelligat, quam explicandam vult ex *v.* 7. & 16. hujus *Capitis*, qui-

 bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

bus locis non eodem modo vox *juſtitiæ* capitur. Conjicio autem per *juſtitiam* eum intelligere benignitatem Numinis in reductione populi demonſtrandam. Uti Verſio Græca habet ad *v. 16.* κύριε ἐν πᾶσιν ἐλεημοσύνη σȣ. Sed cum illa fuerit temporaria, & Judæi rurſus, poſt paucas annorum centurias, ejiciendi eſſent, *æternam eam* vix nuncupaſſet Angelus. *Sanctitas* quoque *Sanctitatum* ungenda, non poteſt eſſe Templum vel Sacerdotium, quia *Sanctitas Sanctitatum*, *æque ac Dux & Excidendus*, ob *unctionis* attributum, unum idemque, nempe perſonam aliquam ſingularem, non *rem* quandam, aut integrum hominum *ordinem* exprimere omnino dicenda eſt.

XXVII. Atqui, inquit Vir Doctus, ultra reſtitutionem populi & diſſolutionem captivitatis non procedit Oratio Danielis; atque eſt in his verbis apertus reſpectus ad verba ejus, ac ἀνάληψις eorum, quæ à Daniele petita ſunt. Reſpondemus. I. Integrum hoc vaticinium oſtendit, plura Angelum & majora revelaſſe, quam quæ præciſè Daniel petierat. II. Non deſunt, qui opinantur, quod Daniel, pro diſſolutione Captivitatis ac refectione Hierorosolymæ orans, ſub iſtis vocibus res majores, liberationem nempe ſpiritualem ex captivitate Diaboli & peccati intenderit, cujus hæc corporalis liberatio imago quædam ac documentum erat. III. Fert conſuetudo Spiritus Dei in Prophetis, ut de reverſione Judæorum ex Babele loquens, tantum non ubique promiſſionem de redemtione ſpirituali per Chriſtum jungat, cujus imago erat illa, atque cujus cauſa maximè fieri debebat. IV. Verba Angeli, *prodii ut imbuam te intelligentia v. 22. prodiit verbum ad quod indicandum venio, quia* deſideratiſſimus *es*, *quapropter* animadverte *ipſum verbum*, & intellige *viſionem v. 23.* præ ſe ferunt indicationem myſterii cujuſdam, hominibus cognitu apprimè neceſſarii, ex qua etiam Daniel intelligeret, ſe ſingulariter dilectum eſſe. Ergò majus quid & aliud hac prophetiâ & hiſce verbis revelat Angelus, quam reſtitutionem populi Urbis ac Templi, aut ejus etiam novam prophanationem per *Antiochum*. Quæ certe myſterium tantum, tam ſedulò inquirendum, & cujus indicatio eſſet ad dandam ſingularem intelligentiam, & ſignum eximii favoris divini erga Danielem, non continent. V. Falſum eſt, quod Danielis Oratio non procedat ultra liberationem ex captivitate Ba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

Babylonica. Anhelat ille ſimul adventum Domini promiſſi, cujus gratia corporale hoc beneficium deſiderat. *Fac ut luceat facies tua ſuper Sanctuarium Tuum, quod deſolatum eſt, propter Dominum* VI. . Denique ſingula verba hoc modo conſiderata pulcherrimum reſpectum habent ad verba Danielis. Hic peccata ſua & ſuorum cuncta & multifaria faſſus erat, & condonationem expetierat enixè. Angelus non ſolum condonationem particularem & remiſſionem pœnæ præſentis, ſed univerſalem omnium peccatorum expiationem & deletionem æternam ſanguine Chriſti efficiendam promittit. Omnes ſuas *Juſtitias* abnegaverat prorſus Daniel. Rectè igitur Angelus Juſtitiam æternam conſummatiſſimam à Chriſto adducendam prædicit. Implementum Prophetiæ Jeremiæ petierat Daniel. Angelus non hujus tantum, ſed omnis Prophetiæ & viſionis, de ſalute hominum per Chriſtum acquirenda, confirmationem, per actualem impletionem, declarat eſſe futuram. Pro terreſtri tandem Sanctuario ſupplicaverat Deo Daniel. Ipſum Jehovam Sanctuarium populi ſui, & קדש קדשים fore, atque cum magno ſuorum gaudio ungendum prædicat Angelus. Sit itaque ἀνάληψις eorum, quæ à Daniele petita ſunt, in his verbis, id magis exegeſi noſtræ favebit, quam Viri Docti.

XXVIII. Non parum diſſentit in explicatione verborum horum à reliquâ Interpretum turba præclarus Theologus *Franciſcus Junius*. Summa hujus divini reſponſi juxta ipſum eſt; Deum populo indulgere LXX. Septimanas annorum, ut tempus gratiæ ac longanimitatis; hunc in finem, ut populus, adhuc in peccatis perſeverans, reſipiſcat ſeriò. Quod niſi fecerit, ſtare ſententiam, & deciſionem divinam, fore ut ἀμεταμέλητος poſt ſpatium 490. annorum, præciſe, juſto Dei judicio peſſundetur. Circumſcribitur itaque tempus, ejuſque terminus his verbis; LXX. *Septimanæ deciſæ ſunt ſuper populum tuum, & civitatem ſanctam tuam.* Finis autem hujus temporis in ſequentibus. Hic duplex eſt; I. Ut reſipiſcat populus, malo renunciando, & bonum fide prehendendo II. Ut juſta exercitamenta & media, ad reſipiſcentiam & fidem pertinentia, colat & obſervet. Quod renunciare malo populus debeat univerſè & ſingulariter, oſtendit Deus his verbis, *ad intercludendam defectionem*, omnem, *& ad obſignandum peccata*, ſingu-

la Bonorum vero proſecutio in fide ſimiliter duabus locutionibus oſtenditur: particulariter, cum jubentur pii *expiare iniquitatem*, id eſt, Sacrificium illud ad expiationem efficax, quod eſt Chriſti Jeſu, ſinguli exhibere Domino; & communiter ſive univerſè, cum dicitur, *& ad exhibendam Iuſtitiam ſeculorum*, id eſt, non temporariam aut humanam ullam, ſed Juſtitiam Dei per fidem. Nam hæc demum vera æternaque eſt Juſtitia, qua juſtificamur coram Domino, & in æternum accepti ſumus. Ad hunc autem finem aſſequendum, quia nemo homo ſatis eſſe poteſt, Deus media quædam inſtrumenta & ſigna inſtituit in Eccleſia ſuâ, quorum adjumento Eccleſiam voluit in illâ reſipiſcentiâ & fide Juſtitiaque æterna ſtabilire. Ea adjumenta in Eccleſia Judæorum fuerunt duum generum, nimirum Prophetia & cultus externus in Templo Dei Jeruſchalaimis, quæ duo altera hujus verſus parte Danieli exponuntur; prius his verbis, *& ad obſignandum viſionem & Prophetam*, id eſt, ut ſinguli Prophetiam, cujus ſucceſſionem gratioſam in Eccleſia ſua aliturus eſt Deus, in mentibus ſuis obſignent, & ipſi à Deo eadem obſignentur: poſterius illis, & *ad ungendum* locum *Sanctum Sanctorum*. Ubi, quantum ego percipio ex Viri Doctiſſimi verbis, ungere Sanctum Sanctorum ipſi notat, ordinario cultui in Templo vacare, ſed in ſpiritu & veritate. Hactenus exegeſin Magni Theologi expreſſimus, quantum fieri potuit brevitatis cauſa, etiam ipſius verbis.

XXIX. Fateor; hæc mihi nimis conquiſita videntur. Reponimus itaque. I. Oravit Daniel pro reædificatione Hieroſolymorum, propter Dominum ejuſque adventum. Erat quoque primarius Dei ſcopus in reductione Judæorum ad patrias illas oras, ut Chriſtus tempore definito apud Judæos reſtitutos in terra Canaanis naſceretur. Ergo & hic finis, ob quem LXX. Septimanæ deciſæ erant, ſtatui debet hiſce verbis expoſitus, quæ finem deciſionis earum continent. II. Non officia populi, ſed effecta Divina his verbis exponuntur, quod liquet ex natura ſermonis Angeli & rei memoratæ. Ne omnia percurram; *adducere Juſtitiam* æternam nulli competit, præter Iehovam Iuſtitiam noſtram. Dicit enim illa phraſis, *efficere*, ut ſit & exiſtat perfectiſſima Juſtitia coram Deo. Ipſe Vir Clar.

non

non potuit ſibi temperare, quin *obſignationem viſionis & Prophetiæ* ad Deum referat quoque. III. Quod maxime attendi velim, non proponuntur hæc effecta, *ad claudendum prævaricationem*, ut finis *rei*, id eſt, temporis & longanimitatis exhibendæ, quæ ad reſipiſcentiam ducit; ſed ut finis *Dei* decernentis. Si rem preſſius conſideremus, apparet contineri hoc verſu declarationem *æterni decreti divini*, quoad *finem* à Deo *intentum*. Non enim *promittitur* modo gratia Dei ergà populum, ejuſque tempus, ſed *decretum* Dei enarratur de tempore præciſo. Ut ſenſus ſit; decrevit Deus vobis dare tantum temporis, hac intentione, ut fiat certò, quod ſequitur, *occluſio peccati* &c. At finis intentus à Deo in decreto ſuo ſemper effectum ſortiri debet. Ergò cum populi Judaici incredulitas & impietas ſub Templo ſecundo, præſertim adverſus Chriſtum, monſtrata conſtet, eaque ſeverè, juxta hanc prædictionem Danielis, à Deo punita ſit; ſequitur, ſi præſcriptorum officiorum executio ſit finis intentus à Deo decernente, Deum ſuo fine excidiſſe, quoniam populus conditionem non implevit. Quod injurioſum Deo ac indecens eſt, Unde & imprudenter à Viro ſummo dictum arbitror, *ſtare deciſionem divinam*, *niſi* præſcripta hæc officia *fecerit* populus.

XXX. Non lubet plures aliorum atque alienas exegeſes corradere, vel ſub examen revocare. Proferemus rectius, quod ad hunc locum dicendum eſſe arbitramur. Ubi primò conſideranda veniunt *mala* auferenda, triplici vocabulo expreſſa. Primum eſt פשע / notans ex origine & uſu egreſſionem ex voluntate, præcepto ac poteſtate ſuperioris, quæ fit plerumque deſtinatò & contumaciter. *vid.* 1 *Reg.* XII. 19. 2 *Reg.* I. I. VIII, 10. &c. Secundum eſt חטאת / notans propriè aberrationem à ſcopo & viâ illuc ducente *Jud.* XX. 16. & linea recta, à חוט Tertium עון dicit propriè perverſitatem, incurvationem, pravitatem præcipuè in curſu, ex qua frequens cæſpitatio; conf. *Pſal.* LIX. 5. XLIX. 6. Primum & ultimum ſunt ſingularia, medium plurale. In quo non puto eſſe fundamentum diſtinctionis, quam heic facit Celeb. Coccejus, qui פשע ad defectionem Judæorum à Rege ſuo, חטאות ad peccata gentilium multifaria, עון ad pravitatem fidelibus adhæreſcentem, trahit; cum verius primum & ultimum, in ſingulari poſita, colle-

ctivè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

ctivè ſumenda ſint. Miſſis aliis diſtinctionibus, quas quidam heic faciunt, notamus, quod in ſacris, quando omnia omnis generis peccata, quorum infinita mole obrutum eſt humanum genus, exprimere Spiritus Sanctus conſtituit, hæc tria vocabula, fœdiſſimam peccati naturam ſua ſignificatione declarantia, frequenter juncta adhibeantur. Vide *Exod.* XXXIV. 7. *Pſ.* XXXII. 1. 2. & imprimis *Levit.* XVI. 21. ubi omnia Iſraelis peccata, quæ confiteri atque hirco emiſſario imponere ad expiationem debebat ſacerdos, tribus hiſce vocabulis exprimuntur. *Et imponet Aharon ambas manus ſuas capiti hirci vivi, & confitebitur ſuper ipſum* אֶת־כָּל־עֲוֹנֹת *omnes iniquitates filiorum Iſrael* וְאֶת־כָּל־פִּשְׁעֵיהֶם *& omnes defectiones eorum,* לְכָל־חַטֹּאתָם *cum quibuſcunque peccatis eorum, & imponet illa capiti iſtius hirci, & emittet eum per hominem commodum in deſertum.* Non erit præter rationem, ſi ſtatuamus, huc digitum intendiſſe Angelum. Antea obſervavimus, inter rationes, ob quas tempus hoc deciſum per שמטות annoſque Sabbaticos numeret, eſſe etiam hanc, quod in eorum fine Chriſtus effecturus eſſet expiationem omnium peccatorum veram & conſummatam. Quæ obſervatio fundatur in eo, quod LXX. שמטות, ſi rite numerentur, deſinant in anno Jubileo, & quod hujus promulgati initium ſit dies Cippurim. *Præterea numerabis tibi ſeptem ſeptimanas annorum, ſeptem annos ſeptem vicibus, ita tempus ſeptem ſeptimanarum annorum ſint tibi quadraginta novem anni. Tunc facies, ut ubique perſonet clangor tubæ menſe ſeptimo, die decimo ejus menſis; die expiationum facitote, ut perſonet tuba in tota terra veſtra. Ut ſanctificetis annum quinquageſimum &c. Levit.* XXV. 8. 9. 10. Quia ergò in fine hujus temporis decreti talia miſeris mortalibus per Chriſtum erant adferenda beneficia ſpiritualia, quæ analogiam habebant cum iis, quæ obtingebant Iſraeli in anno Jubileo, & die Expiationis, ejus initio, quæque ſpiritualium horum umbræ & figuræ erant; ideo Angelus LXX. Hebdomadas annorum nominat, atque de *defectionibus, peccatis, iniquitatibus*, tunc vere per Chriſtum expiandis, uti olim typice, ediſſerit. Ex qua obſervatione ſequitur, non tantum, quod peccata non omnium, *ſed electi Iſraelis* ſolius indigitentur, ſed etiam, quod ea, non maculæ aut vitii inſiti, ſed *reatus* reſpectu heic intelligi debeant. Eo nomi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

mine enim peccata Iſraelis olim hirco impoſita fuêre, & per ipſum ſacramentaliter ablata.

X X X I. Ablationis porro modum egregiè declarat Angelus, triplici itidem verbo. Primum eſt כלא. Multi volunt ob viciſſitudinem literarum אהוי / literam א pro ה eſſe poſitam, ut radix ut כלה notione *conſummandi*, *conſumendi*. V. V. habet ut *conſummetur pravaricatio*. Expreſſum id eſt ex Græca verſione, quæ habet τοῦ συντελεσθῆναι ἁμαρτίαν. Apud *Theodoretum* legitur ἕως τοῦ παλαιωθῆναι τὸ παράπτωμα καὶ τοῦ τελεσθῆναι ἁμαρτίαν. Prius illud modo apud *Tertullianum* reperitur; *Quoad uſque inveteretur delictum*. Patet ,autores harum verſionum כלא pro כלה ſumſiſſe, quod verbum cum *conſummare*, *finem imponere*, *conſumere* etiam, & facere ut res diſpareat, notet, hinc Græci לכלא per τελεσθῆναι & παλαιωθῆναι expreſſerunt. Utramque hanc vocem cum legamus apud *Theodoretum*, miramur magis ipſius expoſitionem, quam cum *Euſebio* & *Chryſoſtomo* communem habet, & juxta quam *conſummatio* & *antiquatio* peccati notaret augmentum ſummum & ſupremum impietatis culmen, ad quod, per crucifixionem Chriſti, Judæi increduli aſſurgerent. Certe ita non *antiquatum* eſt peccatum, ſed vires & robur majus nactum; quod autem inveteraſcit, indies magis deficit & eſt ἐγγὺς ἀφανισμοῦ. Ne dicam de contextu ſequenti, ubi per vocabula חתם & כפר / non incrementum ſed abolitio peccati ſignificatur. Rectius itaque alii, per conſummationem & antiquationem peccati, hujus deletionem & abolitionem gratioſam intelligunt.

X X X I I. Verum abſque neceſſitate de permutatione literæ ה in א hic cogitant, cum vox כלא / retenta litera א/ ſua ſignificatione optimum ſenſum fundat. Scilicet notat כלא proprie *claudere* I *Sam.* VI. 10. *Jer.* XXXII. 2. 3. *Pſ.* LXXXVIII. 9. &c. Unde כלא cum duobus Segol, & כליא *carcer*, & מכלא *ovile*, *caula*, cui pecudes includuntur. Hinc & Græcum κλείω *claudo*, κλεὶς *clavis* &c. Retinemus nos hunc ſenſum *claudendi*, qui primus & proprius & hic ἐμφατικώτατος eſt, uti ex ſequenti noſtra exegeſi amplius patebit. Sicuti jam id quod clauditur, à conſpectu abſconditur, & ne noceat inhibetur, ita defectionem *claudendam* dicit Angelus, quod â

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

conſpectu Dei Judicis removeretur, ne videret & puniret eam, atque ita coerceretur, ut peccatorem reſipiſcentem accuſare, debiti poſtulare, eumque condemnare coram tribunali Dei amplius non poſſet.

X X X I I I. Non modo claudendam defectionem, ſed & inviolabili ſigillo *obſignanda* peccata, ut nunquam erumpere queant, porro declarat Deus, altero verbo לחתם. Juxta Maſorethas *Keri* hic eſt להתם ad *finiendum*, *abſolvendum*, *conſumendum* &c. Sequuntur alii τὸ *Keri*, alii τὸ *Cetif* retinent. Absque ullo de boni ſenſus jacturâ periculo alterutrum eligi poteſt. Utrumque enim τὸ *Keri* & τὸ *Cetif* â Sp. Sancto profectum, ac æque authenticum, cum quibuſdam, non dicerem. Cum autem τὸ *Cetif* non facile deſerendum ſit, (voce in textu retenta, ex codicum vetuſtate, vel plurium conſenſu, in quibus reperiebatur.) niſi vel forma Grammatica planè ſit aliena, vel ſenſus parum commodus inde emerſurus evidenter deprehendatur; tutiſſimum judicamus illud heic retinere, quia ſenſus optimus inde emergit, nec ratio Grammatica validè obſtat. Regulariter quidem deberet media radicalis ת in לְחָתֵּם eſſe dageſſata cum præcedente vocali brevi *patach*. Sed non præter conſuetudinem eſt, in conjugationibus dageſſatis, indageſſabilium inſtar compenſationem quandoque ſumere non modo ק & ג, ſed & ת in הֵתַל *illuſit Gen.* XXXI. 7. & הָתֵל *illudere Exod.* VIII. 25. pro הִתֵּל & הַתֵּל: Atque hoc modo legendum eſſe non dubitarunt Græci, vertentes, τοῦ σφραγίσαι. Quam lectionem etiam ſecutus eſt *Tertullianus*, *quoad uſque ſignentur peccata.* Et appoſite ſatis *obſignatio* peccatorum eorum *occluſioni* jungitur, quia illud, quod firmiter clauſum volumus, obſignare ſolemus *Dan.* VI. 18. *Matth.* XXVII. 66. Hinc & inter alias & multas vocis hujus ſignificationes ea etiam obtinet, qua notat aliquid quaſi valida occluſione abſcondere & occultare ab aliorum conſpectu *Dan.* XII. 4. 2. *Job* XXXVII. 7. *Apoc.* XXII. 10. Quo ſenſu & heic venit, notans adeò peccatorum omnium abſconſionem validam, non ut memoriam eorum retineat, ac diligenter aſſervet ea Deus, ne ullum elabatur impunitum, *conf. Job.* XIV. 7. ſed ut eorum prorſus obliviſcatur, ut pereant, nec in rationes Dei veniant in æternum, ut eorum intuitu peccatorem condemnet; & ut ſuppreſſa, ſubacta, ac in maris profundi-

fundi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

ſunditates abjecta, *Mich.* VII. 19. vi accuſandi & condemnandi peccatorem penitus deſtituantur.

XXXIV. Hæc autem valida peccatorum abſconſio à conſpectu Dei judicis id omne non eſt, quod duplici hac phraſi, *claudendi & obſignandi*, ſignificatur. Verum amplius *modus*, quo id fieri debet, declaratur, nempe interpoſito quodam *operculo* ſeu tegumento inter peccata & faciem ſummi Judicis, quo clauſa, recondita, & in æternum remota eſſent ab illius vultu. Quod redemtionis noſtræ myſterium præfiguravit olim Deus *operculo propitiatorio*, quod ex ejus mandato Arcæ supernè impoſitum erat, ad tegendas Legis tabulas, in ipſa Arcæ cavitate ſepoſitas; *Et pones* אל הארון *in arcam Teſtimonium* (tabulas legis 1 *Reg.* VIII. 8. *Heb.* IX. 4.) *quod dabo tibi. Et pones* את הכפרת *operculum propitiatorium ſuper arcam ſuperne, & in arcam pones Teſtimonium, quod dabo tibi. Et conveniam te illic, & loquar tecum deſuper è propitiatorio, è medio duorum Cherubinorum, quod eſt ſuper Arca Teſtimonii. Exod.* XXV. 16. 21. 22. Habitabat Deus inter Cherubinos, unde præſentiam ſuam gratioſam certis quibuſdam ſignis & reſponſis manifeſtabat Iſraeli. Hoc autem non decebat Deum, niſi lex, officii quidem norma, ſed & transgreſſionis index, peccatoremque accuſans & condemnans, tecta eſſet *operculo* quodam, & quidem *propitiatorio*, quod nempe ſanguinem adſperſionis adjunctum haberet, quo poſſet placare Numen, etiam cum Teſtimonio iſtius legis. Illud vero operculum aureum, ſanguine animalium brutorum conſperſum, id, quod lex poſtulat â peccatore, præſtare non poterat ad placandum Numen; cujus ſanctitas, juſtitia, veritas, longè aliud placamentum exigebant. Præfigurabat itaque aliud operculum, ipſo auro infinities præſtantius; alium Mediatorem, non brutorum, ſed ſuo ipſius infiniti valoris ſanguine conſperſum, in quo Deus ſecum mundum reconciliaret, & qui δικαίωμα legis impleret, ut peccatum condemnaretur. Hic autem eſt Filius Dei JESUS CHRISTUS, Mediator Dei & hominum, quem προέθετο *ante* tempus, vel *ante* facies hominum, *poſuit* Deus ἱλαςήριον *operculum propitiatorium, per fidem, in ſanguine ipſius Rom.* III. 25.

XXXV. Adeò multa in Chriſto conſpicienda meditanda ac credenda ſunt fidelibus, ut integer ſacerdotii Levi-

 tici

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

tici apparatus neceſſarius fuerit, ad cognitionem quandam myſteriorum, quæ in ipſo recondita ſunt, dandam Iſraeli. Sacerdotes, altaria, victimæ ipſæ, umbræ erant ejus, qui ſimul ſacerdos, qua Immanuel, victima, quoad humanitatem, & altare foret, quad Deitatem. Menſa cum panibus propoſitionis in Sancto collocata ipſum delineabat, qui panis vitæ eſt, & ſimul menſa, in qua quæri & inveniri is debet & poteſt. In Sancto Sanctorum Manna, Virga Aaronis, ipſa Arca integra, & ſpeciatim Operculum ei ſuper impoſitum, vario reſpectu figuræ Chriſti fuerunt. Quæ omnia latius exequi inſtitutum noſtrum non patitur. Hoc ſolum monendum cenſemus, quod Lex Arcæ incluſa alium reſpectum induat, ſi Chriſtum ſub imagine Arcæ integræ, quam ſi eundem ſub ſimilitudine operculi Propitiatorii concipiamus. Priori nempe modo ſignificabatur ſtudium Legis, quod in Chriſto perfectiſſimum ac exactiſſimum foret. Quorſum alluditur *Pſal.* XL. 9. *Facere voluntatem tuam Deus mi delector*, ותורתך בתוך מעי *& lex tua in medio viſcerum meorum* eſt. Poſteriori modo Lex conſideratur ut peccatum monſtrans, eique vim peccatorem accuſandi & condemnandi concilians; δύναμις τῆς ἁμαρτίας ὁ νόμος, 1 *Cor.* XV. 56. Hoc pacto Lex dum conſideratur, Chriſtus illud Operculum eſt propitiatorium, quod præſtando id, quod lex exigebat, ſanguinem proprium fundendo, Deique iram in corpore & anima ſuſtinendo, implevit δικαίωμα τοῦ νόμου, eique & peccatis os obturavit, eaque coercuit, arctiſſimeque concluſit, ne amplius eum, qui in Chriſto eſt, peccatorem condemnare valeant, eumque execrationi ſubjicere & a Dei gratioſa & glorioſa communione arcere queant 2 *Cor.* V. 18. 12. *Rom.* VIII. 1. 3. *Gal.* III. 13. 1 *Cor.* XV. 55. 56. 57. 1 *Joh.* II. 2. &c. Huc reſpicit Pſaltes, *Beatus, cujus tectum eſt peccatum Pſ.* XXXII. 1. *Abſtuliſti iniquitatem populi tui, texiſti omne peccatum eorum, Selah. Pſal.* LXXXV. 3. Huc & reſpicit Deus in hoc noſtro textu, quando peccata *Claudenda & obſignanda* pronunciat.

XXXVI. Sapientiſſimo profecto conſilio hæc ita efferuntur. Inter alia, quibus Templum ſecundum caruit, à Judæis conſtanter numeratur etiam *Arca* cum *Propitiatorio*. Defectum ejus umbratilis Operculi abundè compenſandum fore miſſione

Chriſti

Chriſti veri Propitiatorii, in conſolationem fidelium promittit Deus. Præterea, die quovis *Expiationis*, cum ſanguine Pontifex ſummus adytum ingrediebatur, eoque ipſum operculum inſpergebat, & hoc pacto ei vim, ad legem & peccatum claudendum, ſemper de novo conciliabat; imo hoc ſanguine quaſi ſigillo, operculo impreſſo, peccatum ac legem obſignabat, ac valide occludebat coram Dei, Cherubim inhabitantis, facie & aſpectu. Hujus umbræ veritatem in Chriſto fore conſpiciendam, in fine LXX. hebdomadum, in Jubileo ſpirituali, ac *die Expiationis vero*, prænunciat Deus elegantiſſime. Nempe tum ſanguine conſpergendus erat Chriſtus proprio, cujus virtute ἱλαστήριον factus peccata obſignaret, oculoſque Dei ab iis plane averteret, ne *intueri iniquitatem in Jacobo, neve perverſitatem aſpicere in Iſraele* poſſit *Num.* XXIII. 15. adeo ut, *ſi quæratur iniquitas Iſraelis, nulla extaret, & peccata Jehudæ, nulla invenirentur Jer.* L. 20. utpote virtute *lapidis* illius fundamentalis, prius rudius per paſſiones exciſi, dein ſculptura elegantiori per gloriam ſecutam expoliti, è conſpectu Dei, *uno* quidem *die, remota Zach.* III. 9. Et ſic quidem, ut eorum amplius, exactione etiam chirographi, non *recordaretur* Deus *Jer.* XXXI. 34. *Heb.* VIII. 12. X. 17. 18.

XXXVII. Suppoſuimus ita de hiſce rebus differentes, ipſum Operculum ſanguine olim conſperſum fuiſſe. Operæ pretium erit hanc hypotheſin paululum illuſtrare ac confirmare. In *Cod. Joma. Cap.* IV. dicitur, quod Pontifex non intueretur ad ſpargendum ſurſum aut deorſum. Verba hæc ſunt. *Nec intuebatur ad ſpargendum ſurſum aut deorſum.* Ad quæ verba *Sheringhamius. Non intuebatur in propitiatorium; neque enim opus erat, cum ſanguis, ut in Gemara traditur, in terram lapſus ſit, & ad propitiatorium non pervenerit.* Confirmat hanc gloſſam ex *Bartenora*, cujus verba latine hunc in modum exhibet. *Non intuebatur ad ſpargendum, non ſurſum, ut eſſet ſparſio una in faſtigio propitiatorii, & ſeptem deorſum in medio ejus, quia ſupra propitiatorium non pervenerint, ſed in terram deciderint.* Nos ſecus ſentimus. Verba textus ſic ſe habent. *Et accipiet de ſanguine juvenci illius, & ſparget digito ſuo* על פני הכפורת קדמה *ſuper faciem Propitiatorii, orientem verſus;* ולפני הכפורת *& coram propitiatorio ſparget, ſeptem vicibus de illo ſanguine digito ſuo.*

Deum Sponſorem acceptaſſe, & victimam in locum peccatoris ſurrogaſſe, in cujus oblatione olim futura hactenus acquieſceret, in fide offerentibus peccata remitteret, mundum reliquum toleraret, externaque beneficia Iſraeli conferret, & corporales etiam plagas ſiſteret *Num* XVI. 46. 47. *Gen.* VIII. 21. Sic nihil conſummavit Lex, ſed fuit ἐπεισαγωγὴ κρείττονος ἐλπίδος *Heb.* VII. 19. ac ſignum & ſigillum expiationis veræ, per melius ſacrificium perficiendæ, quam hic ut futuram igitur Deus promittit.

XL. Facta eſt ergo hæc *expiatio iniquitatis* per Filium Dei in plenitudine temporis manifeſtatum in carne, Jeſum Chriſtum. Huic, quod olim in victimis, maximeque in hirco diſtincta ceremonia præfiguratum fuit *Levit.* XVI. 21. 22. impoſita & imputata ſunt peccata noſtra, ab ipſo ſponſione æternâ voluntariè ſuſcepta. Quæ imputatio peccatorum, eorumque in ſe ſuſceptio cauſa eſt, quod *ſponſor* vocetur *Heb.* VII. 22. quod peccata noſtra *ſua* dicat *Pſ.* xl. 13. lxix. 4. 5. quod olim dicere potuerit מצאתי כפר *inveni redemtionis pretium Iob.* XXXIII. 22. 23. & quod cum ipſe innocens in ſe & ſanctiſſimus fuerit, tanta mala, cælitus immiſſa, in corpore & anima ſuſtinuerit; quod alias ſalva Dei Patris ſanctitate, juſtitia, veritate, bonitate, abſque hac peccati imputatione fieri non poterat. Agit Meſſias de hac ſuſceptione *Pſ.* lxix. 10. *conf. Rom.* XV. 3. Uti autem ut victimæ piaculari imputata ipſi peccata noſtra ſunt, ita & *propter* ea traditus, vulneratus, crucifixus, mortuus eſt *Rom.* IV. 25. *Ieſ.* LIII. 4. 5. 6. 8. & factus eſt *pro* nobis, ut olim victimæ loco offerentis, אשם *Ieſ.* LIII. 10. ἁμαρτία 2 *Cor.* V. 21. *execratio Gal.* III. 13. quando *peccata noſtra ſurſum ipſemet*, ſacerdos & victima, *in corpore ſuo tulit ſuper lignum* 1 *Pet.* II. 24. Quod autem ſanguis mille arietum olim efficere non valebat, niſi in imagine, id Chriſtus unica oblatione ſui ipſius confecit. Inde *veniens in mundum prius illud abſtulit, ut poſterius ſtatueret Heb.* X. 9. ex *Pſ.* xl. 8. 9. Expiavit peccatum & delevit, quod hactenus extabat in tabulis ſummi Creditoris, δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν conſedit ad dextram majeſtatis in altiſſimis *Heb.* I. 3. εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας per immolationem ſui ipſius factus manifeſtus *Heb.* IX. 26 adde *Heb.* IX. 15. *Coloſ.* II. 14. Atque ita *unica oblatione* τετελείωκε *conſummavit*

mavit in perpetuum eos, qui ſanctificantur, impetrata actu remiſſione peccatorum, ita ut & memoria eorum & recordatio, tanquam nondum expiatorum, pereat *Heb.* x. 14. 17. Hæc illa expiatio vera & conſummata eſt, die expiationis vero conficienda; heic promiſſa; qua ſemel facta ſacrificiis & ſanctuario terreſtri amplius locus eſſe nec poterat nec debebat.

XLIII. Narrant Judæorum Magiſtri, quod Summus Sacerdos linguam coccineam, quæ lanei ſtaminis erat, rubro tincta, alligaverit die Expiationis ad caput hirci Emiſſarii, & quod quando hircus ille de rupe צוק dejiciebatur, ea colorem exuerit purpureum, nativamque albedinem induerit, in certum expiationis præſtitæ teſtimonium. Quod ut ritè animadvertere poſſet hirci illius ductor, linguam coccineam dividebat, dimidium ejus ad rupem, dimidium vero inter hirci cornua alligabat, ne, ſi tota ad frontem hirci appenſa fuiſſet, contingeret fortè, ut qui hircum duceret neſciret aliquando an albuiſſet: quia dum hircus præceps ferebatur, cum reliquum corpus inſtar velaminis capiti obtenderetur, linguam coccineam tegi neceſſe erat. Addunt autem, poſtremis temporibus Templi ſecundi, & quidem *quadraginta* annis ante deſtructionem Hieroſolymorum, contigiſſe, ut lingua illa coccinea non exalbeſceret; quod iræ Divinæ, & non factæ expiationis per Pontificem Maximum, argumentum erat. Quæ ſi vera ſunt, perhibent Judæi teſtimonium contra ſe ipſos, & teſtimonium dant inſcii & inviti expiationi factæ per ſacrificium Jeſu Nazareni, quem crucifixerunt, eodem ferme tempore, quando lingua illa coccinea, juxta ipſos, in rubedine ſuâ manebat. Interfecto enim Filio Dei, graviſſimi ſceleris reatum ſibi contraxerunt Judæi, ob quod iram ſuam ſic oſtendiſſe Deum ſingulari & gravioris judicii inſecuturi documento, ipſimet ſic fatentur. Et quando Pontifex futurorum bonorum, ſui ipſius oblatione, expiaverat omnia omnium ſibi datorum peccata, haud mirum erat, quod lana illa rubra in rubedine ſua manſerit; factum id eſt, ut ſignificaretur fruſtra Judæos hircorum ſanguine quærere peccatorum ſuorum expiationem. Quicquid ſit de hac traditione Judaica, eatenus eam contra Judæos recipimus, quatenus expiationem hanc, in fine 490 annorum futuram, eodem prædicti temporis articulo factam eſſe oſtendit. Dubitant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

tant cæteroquin Viri Doctiſſimi, an hæc ita ſe habuerint, uti Judæi fabulantur; quamvis illi, ne videantur abſque ullo fundamento ex Scripturis Sacris hæc tradere, confugiant ad locum *Ieſ.* I. 18. quaſi ibi alluſio eſſet ad ritum hunc, & mirabilem rubræ lanæ in albam mutationem. Ita quæritur in *Miſchna, Tractatu Schabbath. Unde habemus, quod alligare debuerint linguam coccineam capiti hirci emiſſarii? Ex eo, quod dictum; ſi fuerint peccata veſtra ſicut dibapha, ſicut nix dealbabuntur.* Vid. *Spencerum de Hirco Emiſſ.*

XLIV. Verum non ſufficit ad peccatoris ſalutem liberare ipſum à reatu & pœna peccati, niſi ſimul ipſi adducatur jus vitæ æternæ, & communio Dei, â qua per peccatum excidit, cujuſque ſpem amiſit. Unde ut perfectum Salvatorem Chriſtum deſcribens Angelus, ei porro tribuit *juſtitiæ æternæ adductionem.* Vox *juſtitia* notat in ſacris eam rectitudinem cogitatorum dictorum factorumque, quâ cum legis poſtulato exacte conveniunt. Ita Paulus vocem δικαιοσύνην, quæ convenit cum *Hebr.* צדק & צדקה/ ſumit *Rom.* x. 5. *Moſes enim deſcribit juſtitiam, quæ eſt ex lege, quod qui fecerit ea homo vivet per illa.* Hæc prima vocis notio eſt, ex qua cæteræ fluunt, quando pro ſtatu abſolutionis à crimine, vel jure ad vitam æternam ſumitur *Ieſ.* LIV. 17. Prima hac notione heic etiam vox ſumenda eſt, quando & reliquæ nominatæ non excluduntur. Intelligimus nempe per *juſtitiam* hanc, non aliqualem, ſed perfectiſſimam omnibuſque numeris abſolutam legis obedientiam, quæ præſtita eſt cauſa peccatori, cujus peccata expiata ſunt, juris ad vitam æternam. Qualis juſtitia cum nullibi hactenus reperta fuerit, nec apud homines omnes peccato coinquinatos inveniri potuerit, merito eam *adducendam*, id eſt *præſtandam*, & actu *ſiſtendam* loco & bono peccatoris declarat Angelus. Ita & frequenter Prophetæ de *juſtitia* hac, ut futura, loquuntur *Pſ.* LXXXV. 11. *Pſ.* XL. 10. Nec ſilent iidem per quem hæc *juſtitia* foret adducenda *Ier.* XXIII. 5. 6. XXXIII. 15. 16. *Ieſ* XLV. 24. adde *Dan.* IX. 25. *Ieſ.* LIII. 11. Hæc juſtitia revelatur Euangelio *Rom.* I. 17. III. 21. & monſtratur eſſe in Jeſu Nazareno noſtro, vero Davidis Germine. Hic adduxit *juſtitiam*, quam prædixerunt vates. Omnem enim juſtitiam implevit *Matth.* III. 13. omneque poſtulatum legis, quæ ſancit

cha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

charitatem erga Deum & proximum, præſtitit, per ſanctitatem naturæ integram, â primâ conceptione conſervatam, & ſucceſſivam ſanctitatis in rectiſſimis cogitatis dictis & factis omnibus expreſſionem accuratiſſimam & conſtantiſſimam *Pſ.* XLV. 8. *Ieſ.* LIII. 9. *Luc.* I. 35. *Heb.* VII. 26. 2 *Cor.* V. 21. 1 *Petr.* II. 22. III. 18. *Ioh.* VIII. 46. Neque hoc tantum ſed & ſpeciali mandato Patris, de ponenda vita ſuâ pro peccatoribus, ſumma cum lubentia ſe ſubjecit, obediens factus Patri uſque ad mortem crucis *Ioh.* X. 18. *Pſ.* XL. 8. 9. *Ioh.* IV. 34. *Phil.* II. 7. 8. Atque hæc ejus perfectiſſima *juſtitia*, etiam in paſſionibus & morte demonſtrata, cauſa eſt omnis juſtitiæ peccatoris, qua abſolvitur à reatu mortis æternæ, & jus gloriæ cæleſtis ipſi addicitur *Ieſ.* XLV. 24. 25. *Ier.* XXIII. 6. *Rom.* V. 17. II. 19. &c. Eſt enim abſolutiſſima, adeoque vi verborum, *quæ qui fecerit illa, vivet per illa*, debet eſſe cauſa juris ad vitam, peccatori fideli. Peccatori, inquam, ſeu *nobis:* nam Chriſtus fuit *Servus* Jehovæ juſtus, ac per obligationem fœderalem, naturali, qua hominis, ſuperadditam, ut ſecundus Adam, Caput & Sponſor electorum legi ſubjectus fuit; ut adeo quicquid egerit & paſſus fuerit, id omne noſtro nomine & loco factum ſit. Optimè hæc Chriſti *juſtitia*, ut cauſa juris ad vitam, cum *expiatione* peccati jungitur, quia hæc ab illa ſeparari non poteſt. Ad expiationem enim requiritur victima pura & immaculata, id eſt, paſſio cum perfectiſſimâ obedientiâ juncta. Deinde etiam præter expiationem peccatorum, ad plenitudinem ſalutis noſtræ requirebatur meritum obedientiæ conſummatiſſimæ, quo multi conſtitueremur juſti, & ad certam vitæ ſpem & poſſeſſionem deduceremur. Et hinc loquitur Angelus de *juſtitia adducenda*, quæ paſſionibus demonſtrata, ſic faceret ad expiationem peccati, ut ſimul eſſet cauſa juris ad vitam æternam.

XLV. Non debet prætermitti, quod hæc juſtitia dicatur עולמים *ſeculorum*, id eſt, *æterna*. Non ſolum ita dicitur à poſteriori, quia in æternum efficax eſt ad juſtificandum, & ipſa juſtificatio ex ea profluens irrevocabilis eſt *Rom.* VIII. 30. *Juſtitia autem mea in ſeculum erit Jeſ.* LI. 8. 6. Sed etiam à priori, quia ab æterno, cum Chriſto προεγνωσμένῳ nobis deſtinata eſt, ab omni ævo promiſſa, ut vidimus, & vis ejus, in temporis plenitudine demum præſtitæ retroacta ſit ad ju-

 ſtifi-

ſtificandum Patres, à mundi initio promiſſionem de Semine benedicente fide amplectenes *Rom.* IV. 3. 6. 7. 8. *Gal.* III. 6. 8. *Gen.* XV. 6. Quæ rationes cum ſolidæ ſatis ſint, non eſt, quod *Oſiander* in hac appellatione *juſtitiæ æternæ* errori ſuo, de juſtitia eſſentiali Filii Dei intelligenda, prætextum quærat.

X L V I. Pulcherrimè heic rurſus alluditur ad diem *Expiationis*, qui eſt in anno *Jubileo*. Uti enim die illo, quo proclamabatur annus Jubileus, expiatio univerſalis typica peragebatur, ita in fine earum hebdomadum expiationem veram & actualem futuram eſſe modo vidimus. Jam pergimus obſervantes, quod, uti ipſo die Expiationis anni Jubilei, non ſolum peccata expiabantur, ſed ſimul libertas ſervis, & poſſeſſio domuum, fundorum &c. reddebatur abſque ullo pretio iis, qui egeſtate coacti ea vendiderant *Levit.* XXVI. ita etiam in fine harum hebdomadum ſimul cum expiatione peccati adducta eſt juſtitia Chriſti, cujus beneficio peccatori egeno acquiſitum eſt jus ad hæreditatem cæleſtem, & ut ex ſervitute Diaboli & peccati ad familiam paternam cæleſtem tranſeat. Huc reſpicitur *Jeſ.* LXI. 1. 2. 3. & 10. Uti verò ſic redditæ poſſeſſiones tempore Jubilei poſtea rurſus alienari poterant, ita heic contrarium promittitur, nempe juſtitia ÆTERNA.

X L V I I. Hæc peccati expiatio, juſtitiæque æternæ adductio, vaticiniis de illâ antiquis fidem conciliabat. Idcirco additur; *Ad obſignandum viſionem & prophetam.* Inter alios revelationis divinæ modos eſt etiam חזון. Ea revelatio divina, quæ obtingebat homini *vigilanti*; *ſive* exhibito ei objecto externo, additiſque verbis, rerum futurarum prænunciis, quibus externi ejus ſenſus viſus & auditus afficiebantur; *ſive* magis abſque ſenſuum externorum ope, repræſentatione rei futuræ menti facta, vel verbis auditis vel emblematibus viſis κατὰ φαντασίαν, ſtrictè dicebatur *viſio*. Cujus nomenclationis ratio peti poteſt à viſis plerumque emblematibus, operatione facultatis intellectualis, claritateque ac certitudine revelationum apud Vates. Ita ſtrictè ſumitur *viſio*, diſtincta ab ſimili revelatione, quam *dormientes* in inſomnis nanciſcebantur *Num.* XII. 6. *Joel.* II. 28. *Dan.* I. 17. *Iob.* V. 14. Exempla ejus ſunt *Exod.* III. 3. *Dan.* X. 7. *Ieſ.* VI. 1. 2. *Ezech.* I. & IV. & 12. 15. &c. Cætero-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

quin latius etiam nomen viſionis de revelatione facta in ſomno uſurpatur *Dan.* VII. 1. 11. 28. Imo omnis ferè viſio, ſive antecedenter, ſive concomitanter, ſive conſequenter, ſoporem quendam junctum habuit ac ecſtaſin *Gen.* XV. 12. *Dan.* X. 9. *Act.* 9. 10. 11. *Apoc.* 1. 17. Et quia hic revelationis modus valde frequens erat, inde eſt, quod prophetæ non ſolum *Videntes Ham.* VII. 12. 2. *Sam.* XV. 27. *Ieſ.* XXIX. 10. &c. dicti ſint, ſed etiam communiter omnis revelatio divina *viſionis* nomen ſortita ſit *Pſ.* LXXXIX. 20. *Thren.* II. 9. *Ieſ.* I. 1. *Obad.* 1. 1. *Prov.* XXIX. 18. Quomodo & heic vox ſumenda eſt, notans adeò, no tam ipſum revelationis actum divinum, quam quidem ipſas res viſas, & ex revelatione Dei prædictas â Viris Dei, ſcriptoque comprehenſas; conf. *Ezech.* VII. 27. *Dan.* X. 14. 2. *Chron.* XXXII. 32.

XLVIII. Viſioni ideoque jungitur נביא Hæc vox non incommode à בוא deducta notat generaliter eum; ad quem Deus *venit*, ei ſe familiarirer patefaciendo, arcanaque ſua revelando; quique rurſus ad Deum *venit*, precibus *Gen.* XX. 7. ſacriſque canticis *Exod.* XV. 20. 1 *Sam.* X. 5. nomen ejus celebrando; Deique porro nomine ad homines *venit*, ex ejus ore accepta verba de rebus arcanis elocuturus, *venturaque* ſequentibus ævis prænunciaturus, προφήτης. *Ier.* XXIII. 22. 28. Quæ poſtrema vocis notio inde à temporibus Samuelis magis frequens fuit, uti colligunt eruditi ex 1 *Sam.* IX. 9. Ea & heic obtinet. Perinde jam eſt, an per *prophetam* intelligas *prophetiam*, id eſt prædictiones prophetarum, an verò *ſcripta* eorum, quibus eæ aſſervantur *Luc.* XVI. 29. res enim eodem redit, nempe *viſionem* & *prophetam* denotare prædictiones *videntium prophetarum* de rebus futuris, olim prolatas, literiſque conſignatas. Niſi velimus cum Clar. *Coccejo viſionem* paulò latius ſumere, atque referre etiam ad prædictionem typicamque præmonſtrationem rerum futurarum, quæ fuit in umbris ceremoniiſque Legis Moſaicæ; ita ut *viſio* & *propheta* hic ferè idem ſit ac *Lex* & *propheta Matth.* XI. 13. Verba ejus ſunt *Obſignabitur viſio & Propheta, hoc eſt quicquid de ſalute per figuras fuit adumbratum & prophetas prædictum, id verificabitur Quæſt. Jud.* cap. LII. 43. Quod amplius ex expiatione peccati, in qua eſt veri ficatio *umbrarum*, præmiſſa, atque hinc fluente ceſſa-

tione ſacrificii & muneris, *vers* 27. hujus *Capitis* memorata, confirmare annititur, in *Comment. ad Hab. cap.* 11. Dubito an vox viſionis ullibi tam late ſumatur, dum rem ipſam heic ſaltem conſequenter propoſitam libenter concedo. Cæterum obſervandum eſt, quod non omnes prædictiones de quibuſcunque rebus futuris ſed illæ modo intelligendæ ſint, quæ de occluſione obſignatione & expiatione peccati, æternæque juſtitiæ adductione, unctione denique Sanctiſſimi, id eſt de Chriſto venturo, paſſuro, reſurrecturo, adſcenſuro, agunt, quæque ſatis numeroſæ utramque prophetarum paginam faciunt, ac intra LXX. ſeptimanas completæ ſunt. Unde apparet error Viri Docti, qui *omnes* prophetias *omnium* prophetarum heic intelligit, licet nobis cum videatur agnoſcere, prophetias has intra definitum tempus LXX. hebdomadum obſignandas eſſe. Qui error altero illo cumulatur, juxta quem omnes prophetias ad Templum Secundum reſtringit, atque eo adhuc ſtante vel pereunte finiri dicit.

L. Viſiones haſce propheticas *obſignandas* porro dicit Angelus. Variâ notione hæc *obſignandi* vox venit, pro vario ſigilli & obſignationis uſu & fine. Literæ jam finitæ obſignari ſolent; unde obſignare idem poteſt eſſe, ac *finire*. Sic in Computo Judaico; *ad obſignatam Miſchna*, *ad obſignatum Thalmud*, id eſt, finitum. Quod antea adduximus ex *Marshamo*. Porro quæ occultare & conſtanter è medio removere volumus, obſignamus, uti anteà vidimus ex *Dan.* VI. 18. *Matth.* XXVII. 66. Unde obſignare idem eſt frequenter ac *occultare*. Denique quæ confirmare, ac firma rataque cupimus, ſigillo notamus *Ier.* XXXII. 44. Unde obſignare idem eſt ac *confirmare*. Videamus jam, quomodo hæc huic loco applicari poſſint. Nempe ſenſus poteſt eſſe; ut finis imponatur prædictionibus de Chriſto *venturo*, ſicut prophetia non amplius ſit prophetia tanquam de futuro, ſed teſtimonium tanquam de præſenti; & miniſterium illud propheticum, quale olim fuit occupatum in promittendo Chriſto, prorſus ceſſet, adeo ut poſt ejus adventum & paſſionem viſio neque prophetes amplius eſſet, ut loquitur *Tertullianus*. Atque hoc modo non ſolum *finitæ*, ſed & *occluſæ*, *occultatæ*, & quaſi ê medio remotæ ſunt viſio & prophetia; ut pateat inde, perinde eſſe, ſive vox *obſignare* ſenſu *finiendi*, ſive *claudendi* ſumatur. Dein ſenſus eſſe poteſt; ut *confirmentur*, verificentur, rata, indubitatæque veritatis compe-

pe-

riantur, per actualem ſcilicet impletionem, reique prædictæ exhibitionem, ſicuti id quod obſignamus, firmum, ratum, verum eſſe declaramus. Apparet igitur, quovis modo etiam explicemus obſignationem, & unde rationem ejus repetamus, ad *impletionem* prophetiarum, ante finem LXX. hebdomadum expectandam, atque in expiatione iniquitatis & juſtitiæ æternæ adductione conſpiciendam, hanc *obſignationem* referri debere.

LI. Obſervandum hoc contra Judæos. Notum eſt illud Thalmudicum; כל הנביאים כולן לא נתנבאו אלא לימות המשיח *omnes omnino prophetæ non ſunt vaticinati, niſi de diebus Meſſiæ.* Atqui heic horum prædictiones de Meſſia implendas dicit Angelus intra LXX. Septimanas, ſtante adhuc Urbe Sancta; ergo dudum impletæ ſunt, quoniam Civitas illa jam à multis ſeculis diruta eſt, ſanctaque eſſe deſiit. Lubet ad majorem hujus rei confirmationem unum addere locum ê Veteri Inſtrumento, in quo implementum prophetiarum de Chriſto, ſtante Templo Secundo, Civitateque ſancta, futurum eſſe docetur. Huc refero *Zach.* VIII. 3. 8. *Sic dicit Iehovah: Reverſus ſum ad Tzionem, & habitabo in medio Hieroſolymæ, & vocabitur Hieroſolyma* עיר האמת *Urbs* Veritatis, *& mons Iehovæ exercituum* הר הקדש *mons ſanctitatis. Et adducam illos & habitabunt in medio Hieroſolymæ, & erunt mihi in populum, & ego ero ipſis in Deum,* באמת ובצדקה *in* Veritate *& juſtitia.* Vulgò Judæi tradunt, Templum Secundum deſtitutum fuiſſe שכינה *inhabitatione* Dei ſuper Arca. Non igitur illa umbratilis, ſed illa σωματικὴ *inhabitatio*, per manifeſtationem Filii Dei in carne, intelligitur. Qua in carne ita habitavit Filius Dei, ut ſimul per eam habitaverit inter homines, potiſſimum inter ſuos, qui Hieroſolymam ſpiritualem conſtituunt; imo etiam in Hieroſolyma terreſtri verſatus paſſus ſanguine conſperſus ſit, & ut ἱλαστήριον verum publicè omnium oculis expoſitus. Hanc ob cauſam urbs Hieroſolyma tota כסא יהוה *Solium Iehovæ*, quod alias in Sancto ſanctorum erat, vocari potuit *Ier.* III. 17. imo Urbs Veritatis, ob exhibitum nempe *Corpus* omnium umbrarum, & ſignaculum omnium prophetarum, & Sion mons *Sanctitatis*, ob Sanctum Iſraelis corporaliter ibi præſentem. Quod ergò quia futurum erat, ideò Jehovah declarat ſe Deum populi fore, idque in veritate & juſtitia. Ad quæ verba *Annotat. Belg. Ego certiſſime dabo*

ipſis,

ipſis , quod promiſi ipſis , & juſtificabo eos per Ieſum Chriſtum

LII. Fruſtra ergò Judæi expectant impletionem prophetiarum de Meſſia, quæ ante vaſtationem Hieroſolymæ fieri debuit, & verè facta eſt. Cujus rei teſtimonium quoque eſt abolitio ſacrificii & muneris, de qua *vers* 27. Lex & prophetæ uſque ad Johannem prophetarunt, non quod ille eſſet Meſſias, ſed quod digito Meſſiam indicaret: *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi Ioh.* I. 20. 26. 29. Hic eſt *Ieſus Nazarenus*, in plenitudine temporis miſſus, de quo omnes Prophetæ *Luc.* I. 69. 70. *Act.* III. 18. 24. VII. 52. *uno ore* locuti ſunt; & in quo omnes promiſſiones Dei ſunt τὸ ναὶ ϗ τὸ ἀμὴν 2 *Cor.* I. 20. & in quo veteres omnes prædictiones, & umbræ, veritatem habent *Ioh.* I. 14. 17. XIV. 6. *Coll.* II. 17. ac *conſummationem Ioh.* XIX. 30. Audiant Judæi, quod unus ex gente ſua, vi veritatis preſſus, de Jeſu noſtro diſſimulare non potuit. *Eodem tempore fuit Ieſus, Vir ſapiens, ſi tamen Virum eum fas ſit dicere. Erat enim mirabilium operum patrator, & doctor eorum, qui libenter vera ſuſcipiunt, plurimosque tam de Iudæis, quam de gentibus ſectatores habuit, Chriſtus hic erat, quem accuſatum à noſtræ gentis principibus Pilatus cum addixiſſet cruci, nihilominus non deſtiterunt diligere, qui ab initio cæperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut* divinitus de eo Vates hoc & alia multa miranda prædixerant. *Et uſque in hodiernum diem Chriſtianorum genus ab hoc denominatum non deficit.* Ita *Ioſephus Antiquit Lib.* XVIII. *Cap.* IV. Quæ verba *Ioſephi*, quibus Prophetas de Jeſu noſtro vaticinatos dicit, non neceſſe eſt, ut capiamus unice tanquam ex mente aliorum dicta; cum facile de Jeſu, Viro ipſi illuſtri & Heröe, Prophetarum oracula prædixiſſe quædam credere potuerit. Uti & ſic *Veſpaſianum* iis prænotatum aſſerit de *Bell. Iud. Lib.* VII. *Cap.* XII. *Sed quod maxime eos ad bellum excitaverat, reſponſum erat ambiguum, itidem in ſacris literis inventum, quod eo tempore quidam eſſet ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quaſi proprium acceperunt, multique ſapientes interpretatione decepti ſunt. Hoc autem plane reſponſo Veſpaſiani deſignabatur Imperium, qui apud Iudæam creatus eſt Imperator.* Credibile eſt ad *Mich.* V. I. reſpici.

L I I. Tandem ab effectis ad cauſam aſſurgit Angelus, etiam operis ſui fructu & gloriâ nequaquam privandam; ולמשח קדש

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

קדש קדשים. *Theodotio*, καὶ τοῦ χρῖσαι ἅγιον ἁγίων. *Aquila* τοῦ ἀλεῖψαι ἡγιασμένον ἡγιασμένων. *Vulgatus*, *ut ungatur Sanctus ſanctorum*. Ita & *Tertullianus* in maſculino, quomodo & Græcæ Verſiones accipi poſſunt. *Clar. Coccejus*; *Veteres Maſculine accipiunt. Sed* קדש *notat vel ſanctitatem*, *vel ſanctam rem*. Eſt ergo hæc ῥῆσις קדש קדשים vel abſtractè *Sanctitas Sanctitatum*, vel in neutro, *Sanctum Sanctorum*, efferenda. Non eſt autem dubitandum, quin utroque modo de perſona dici poſſit. Abſtractum enim pro concreto poni frequens eſt 1 *Sam*. XXV. 6. *Hagg*. II. 8. & genus neutrum de perſonâ adhibetur in N. T. *Matth*. I. 20. *Luc*. I. 35. *Joh*. III. 6. imo hæc ipſa vox קדש / ſive abſtracte, ſive in neutro reddatur, de perſona uſurpatur *Exod*. XXVIII. 36. *Deut*. XXXIII. 2. Ut adeò non malè Veteres vocem hanc maſculine acceperint. Voluit tamen frequentior vocum harum uſus, ut multi, non ſolum abſtractè, vel in neutro eam transfuderint, quod & rectè factum, ſed etiam rem, non perſonam, ſaltem primò & propriè, denotare crediderint. Scilicet de plurimis rebus, ad antiquam religionem pertinentibus, *altari*, v. g. *vaſis Tabernaculi*, *panibus propoſitionis*, *ſuffitu*, *munere*, *ſacrificio pro reatu*, omnibuſque *ſacrificiis*, *prædicative* uſurpatur *Exod*. XXIX. 37. XXX. 26. 29. 36. *Levit*. VI. 7. VII. 1. 6. X. 12. XIV. 13. XXIV. 9. *Num*. XVIII. 9. *ſubjective* vero & abſolutè enunciata (excepto uno aut altero loco *Ezr*. II. 63. *Neh*. VII. 65.) ipſum Tabernaculi intimum receſſum denotat *Exod*. XXVI. 33. 34. *Heb*. IX. 3. &c. dictum *Sanctum Sanctorum*, conſtructione Hebræis familiari, id eſt, *ſanctiſſimum*. An autem nunquam ſic latius uſurpetur, pro aliis etiam Templi partibus, quod contendit aliquis, id ſtrenuè affirmare non auſim; argumento loci *Num*. XVII. 10.

LIII. Volunt itaque quidam Templum materiale extruendum heic intelligi debere; ſic ut קדש קדשים ſive ſynecdochicè, ſive latiori ſuo ſignificatu totum Templum comprehendat et ſignificet, Quando per *unctionem* ejus denotari credunt, *vel conſummationem* ejus, per oblationem Chriſti futuram olim, cujus abſque intuitu Templum habitaculum Dei, cultus in eo Deo exhibitus gratus ipſi, neque approbatus fuiſſet: vel *conſecrationem* ejus per cultum Leviticum de novo inſtaurandum

ac perficiendum, quando *Chriſtus*, *Unctus* maximè, in eo apparens, cultum illum ab multiplici abuſu purgaret, atque zelum ſuum in tuendâ loci majeſtate & ſanctitate, per ejectionem hominum negotiantium, demonſtraret *Joh.* II. 14. 15. 16. *Matth.* XXI. 12. 13. *Marc.* XI. 15. 16. 17. *Luc.* XIX. 45. 46. Verum Daniel *verſ.* 17. de Templo materiali loquens, ut & Angelus ipſe *verſ.* 16. aliud nomen adhibent nempe מקדש & קדש ſimpliciter. Vide etiam *Cap.* VIII. *verſ.* 13. 14. XI. 31. Deinde oblatio Chriſti non fuit *Unctio* & ſanctificatio Templi, ſed verius abolitio ejus cum ſuppellectili ſua. Quamvis enim ut futura hactenus conſiderata, Templo & ſacrificiis præfigurantibus eam, ſanctitatem & efficaciam quandam conciliabat; attamen jam præſens tollit umbras, eaſque inutiles, imo noxias declarat & efficit. Neque etiam nomine *Unctionis* conſecratio Templi, per cultum de novo inſtaurandum, aut *Chriſti* in eo apparitio ſignificari poteſt, quia expiatio peccati & juſtitiæ æternæ adductio præmiſſa vetat omnino, ut de inſtauratione cultus ceremonialis, in hoc ultimo orationis membro, hujuſque perfectione ac conſummatione, Chriſto nempe cultum & Templum â prophanis abuſibus vindicante & purgante, cogitemus. Quæ etiam mortem Chriſti adeoque expiationem peccati anteceſſit, dum in hac Angeli Oratione eam ſequitur *Unctio Sancti Sanctorum*.

L I V. Alii *Sanctum Sanctorum*, non typicum & umbratile, ſed verum intelligunt; hoc eſt, aliquid, vel id omne potius, quod olim per Sanctum Sanctorum præfiguratum fuit. Fuit autem primò typus ſummi *Cæli*. Quod docet *Paulus*, in genere non ſolum adſtruens, quod Tabernaculum fuerit *exemplar & umbra rerum cæleſtium Heb.* VIII. 5. ſed quod ſpeciatim *Sanctum Sanctorum* fuerit *antitypon Cæli*, in quod ingreſſus Chriſtus *Heb.* IX. 24. Unde ille cælum ingreſſus â Paulo dicitur ingreſſus eſſe *Sanctuarium verſ.* 12. & ad dextram Dei ſedens in cælis, *Miniſter ſanctuarii & veri Tabernaculi* factus. *Heb.* VIII. 1. 2. Et ratio nomenclationis hujus eſt, quia Cælum eſt Dei *Thronus Jeſ.* LXVI. 1. ubi cum incredibili gloriæ manifeſtatione habitat; atque ſanctiſſimum illud Numinis palatium, quod pollutionem nullam aut polluti nihil admittit; in quo etiam ſunt Arca, Propitiatorum, Cherubim *&c.* non typi-

ce

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

cè, ſed verè *Apoc.* XI. 12. *Hebr.* XII. 22. 23. *Jeſ.* VI. 3. in quo tandem Pontifex futurorum bonorum non ſine ſanguine proprio comparet, propitiationem ſemel factam ſic in æternum conſummaturus. Hoc ergo palatium Domini intelligendum eſſe heic contendunt cum *Piſcatore* aliqui, quod cum *ungendum* dicat Angelus, illi de præparatione ac conſecratione ejus ad cultum perfectiſſimum, illic â fidelibus conſummatis Deo exhibendum, & factam per adſcenſionem Chriſti, id exponunt; ſicuti olim Moſes unxit Tabernaculi terreſtris adytum, ut cultus ceremonialis illic perageretur. *Exod.* XL.

L V. Præterea notiſſimum eſt, Templum fuiſſe typum *Eccleſiæ*, hoc nomine ut & illis *Domus* Dei, & *Habitaculi* & *Tabernaculi*, ideò frequentiſſimè inſignitæ *Pſ.* XV. 1. XLVI. 5. *Zach.* VI. 12. 13. 2 *Theſſ.* II. 4. 2 *Cor.* VI. 16. *Epheſ.* II. 21. 1 *Tim.* III. 15. 1 *Pet.* II. 5. imo & uniuscujuſque *Fidelis* 1 *Cor.* VI. 12. III. 16. Eccleſia porrò vel eſt triumphans in cælis, vel militans in terris. Unde licet prior illa magis reſpondeat *Sancto Sanctorum*, & poſterior *Sancto*; attamen & hæc, qualis eſt ſub N. T. ad unum κεφαλαίωμα & ſimilitudinem unius ſtatus cum cæleſti illâ, in clariori cognitione myſteriorum ſalutis, majori libertate &c. adducta *Epheſ.* I. 10. *Heb.* XII. 22. 23. *Cant.* I. 3. haud incommode nomine Sancti Sanctorum proponitur. Confert præcipuè *Clar. Coccejus Ezech.* XLIII. 19. Hanc itaque Eccleſiam N. T. intelligunt alii, *ungendam* Spiritu largiſſime *Joel.* II. 28. *conf.* 2 *Cor.* I. 21. 1 *Joh.* II. 23. 27.

L V I. Tandem uti Tabernaculum & Templum, ita quam maximè ea Templi pars ſanctiſſima, quæ *Sanctum Sanctorum* dicitur, fuit typus *humanæ* Chriſti *naturæ*. Sicuti enim Templum typus fuit rei omnis, in quo Deus ſpeciali modo habitat, præſentemque ſe operationibus gratioſis & glorioſis declarat, qualis *Cælum* & *Eccleſia* eſt; ita certe typus debuit eſſe *humanæ* Chriſti *naturæ*, in qua *plenitudo Deitatis habitat corporaliter Col.* II. 16. Inde eſt quod *corpus* ſuum *Templum* dixerit ipſe *Ioh.* II. 19. ac *Iohannes*, quod ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν *Joh.* I. 14. ac *Jeſaias*, ipſum fore in *Sanctuarium Jeſ.* VIII. 14. Id porrò facilè quivis animadvertit, quod, ſi Templum figura Chriſti fuerit; eâ ſui parte quam maximè, quæ ſanctiſſima erat, ac Numen intimè præſens habebat, qualis fuit adytum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

humanam certe adumbraſſe Chriſti naturam. Atque hoc modo rurſus multi per *Sanctum Sanctorum*, *Chriſtum* intelligunt, ejusque unctionem variè explicant, de qua poſteà. Notandum denique, quod quidam hæc omnia jungant. Ita *Polanus*. *Iſta eſt ſententia verborum Angeli. Ungetur Sanctum Sanctorum, hoc eſt, ungetur Chriſtus Eccleſia ipſius & cælum, quæ per Sanctum Sanctorum, quod Moſes unxit oleo ſacræ unctionis fuerunt adumbrata. Clar. Coccejus* jungit Chriſtum & Eccleſiam, Caput ac corpus myſticum.

L V I I. Verum enim verò quando Angelus in ſequentibus loquitur de *Uncto*, & de *Uncto Principe*, omninò judicandum eſt, illum ſic explicaſſe amplius, quem per Sanctum Sanctorum ungendum intelligi volebat. Ille autem *Princeps Unctus* nullus alius eſt quam Filius Dei, promiſſus Redemtor Iſraelis. Referunt *Gemariſtæ* de *Ionathane* filio *Uzielis*, qui Targum in *Prophetas* conſcripſit, quod etiam tentaverit porro publicare Targum in *Hagiographa*, *ſed exiit* בת קול / *& dixit, ſufficit Tibi, ſed quares quia in iis eſt* קץ משיח *finis Meſſiæ*, in Libro ſcilicet Danielis, ut fatetur *Gloſſa*. Vid. *Auguſt. Pfeiffer. Exercit. de Targ.* Quæ rudera ſunt Veteris interpretationis hujus Prophetiæ, quam jam penitus pervertunt Judæi recentiores, quamvis cœteroquin narratio hæc fabula mera ſit. Neque enim finis Meſſiæ in libro Danielis tantum, ſed & alibi, & præſertim *Ieſ.* LIII. memoratur. Si autem משיח נגיד eſt promiſſus Redemtor, uti eſt, ac in ſequentibus amplius patebit, ergo & hoc Sanctum Sanctorum ungendum eundem denotare, non *Cælum*, non *Eccleſiam*, concludo; quia in hac *Unctionis* voce eſt alluſio ad illud nomen *Uncti*, quod poſtmodum illi daturus erat Angelus.

L V I I I. Quin imò ſi verba hujus commatis modo ritè perpendantur, nulli, majori facilitate & emphaſi, applicanda erunt, quam Chriſti ſoli. קדש קדשים maſculinè capi poteſt, ut antè diximus, ac veteres accepere, quando *Sanctus Sanctorum* eſt *omnium Sanctiſſimus*. Hoc Meſſiæ in veritate & plenitudine ſenſus quadrat; non tantum quia Deus eſt ter ſanctus *Ieſ.* VI. 3. Sed & quia homo eſt nulla peccati labe unquam infectus. Ita eum deſcripſere vates. *Non dabis* חסידיך Sanctum tuum *videre corruptionem Pſ.* XVI. 10. *Pſ.* XLV. 8. *Ieſ.* LIII. 9. 11. *Ier.* XXIII. 5. *Zach.* IX. 9. &c. Ita & res ſe habet in Jeſu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

noſtro *Actor.* VII. 52. 1. *Pet.* III. 18. 1. *Joh.* II. 4. etiam ex confeſſione ſpiritus impuri *Marc.* I. 23. Eſt verè ſanctiſſimus & juſtiſſimus; abſque omni nativâ peccati macula conceptus & natus *Luc.* I. 35. *Heb.* VII. 26. vitam egit integerrimam 2. *Cor.* V. 21. *Joh.* VIII. 29. 46. amoremque Dei & proximi ſummum, in obedientia Patri præſtita uſque ad mortem crucis declaravit. Revera etiam hæc Sanctitas, omnibus numeris conſummata requirebatur in Sacerdote, qui & victima, quæ expiaret peccata mundi; & in Sponſore, qui juſtitiam æternam peccatori adduceret, quæ non niſi perfectiſſimæ juſtitiæ addicta eſt per legem. Talis ergo nos decebat Pontifex *&c.* *Heb.* VII. 26.

LIX. Sed ſi קדש קדשים ad literam primò capere velimus de Templi adyto, certè & ſub hac figura primariò Chriſtus proponi meretur. Nempe locus ille ſecretiſſimus erat *Thronus* Dei *Jer.* XVII. 12. qui habitabat ibi inter Cherubim *Pſ.* LXXX. 2. 2. *Sam.* VI. 2. & præſentiam ſuam ſymbolo *Nubis*, uti volunt plurimi ex *Levit.* XVI. 2. vel *Arca* ſimpliciter, ut alii, ex qua reſponſa dabat *Exod.* XXV. 22. indicabat. Ita Chriſti humana natura eſt habitaculum Filii Dei, in qua *habitat plenitudo Deitatis corporaliter Coll.* II. 9. per veram arctiſſimam & immutabilem duarum naturarum unionem, quæ non niſi levi umbra adumbrata eſt Dei in habitatione in Sanctuario. Pertinet & huc; *Deus manifeſtatus eſt in carne* 1. *Tim.* III. 6. Olim Deus in Sanctuario habitans ſe occultavit, & in caligne habitavit; ſed quando Sermo caro factus eſt, atque in ea ἐσκήνωσε inter homines, tum *manifeſtatus* eſt Deus in carne, ut in habitaculo ſuo omnium oculis expoſito. Præterea Sanctum Sanctorum erat דביר oraculi ſedes, unde Deus reſponſa dabat petentibus, voluntatemque ſuam revelabat gratioſè *Exod.* XXV. 22. Ibi etiam faciem Dei quærere debebant 1. *Reg.* VIII. 33. 34. atque illuc corpus convertere & manus extendere in precibus *Pſ.* V. 8. XXVIII. 2. 1. *Reg.* VIII. 48. *Dan.* VI. 11. Sic per filium nos alloquitur Deus *Heb.* I. 1. ſic in Chriſto facies Dei quærenda precibus *Ioh.* XIV. & ſic omnis cultus noſter Deo exhibendus per fidem in Chriſtum & oculis fidei jugiter ad eum converſis, ſi gratus ipſi futurus ſit *Heb*, XI. 6. ſic tandem unice Deum propitium in Chriſto invenire poſſumus 2. *Cor.* V, 19. 1. *Ioh.* I. 1. Denique ut concludam in *Sancto Sanctorum* plurima Levitici cultus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

myſteria recondita erant. Ibi *Arca*, *Propiatorium*, *Cherubim*, *Manna*, *Virga Aaronis* & in horum omnium recta intelligentia maxima ſita erat ſapientia & conſolatio, Ita in Chriſto multa ſunt myſteria. Quicquid *Arca*, *Manna*, *Virga Aaronis*, *&c.* præfigurabant, in ipſo veritatem habet; unde in ejus cognitione eſt ſumma ſapientia lætitia conſolatio, imo vita æterna *Ioh.* XVII. 3. I. *Cor.* II. 2. Hinc חכמות Sapientia ſumma audit objective etiam *Prov.* IX. I. Putem huc reſpexiſſe Paulum, quando de Chriſto dicit, ἐν ᾧ εἰσὶ πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι. *In quo ſunt omnes Theſauri ſapientiæ ac cognitionis abſconditi.*

L. Hanc *Sanctitatem Sanctitatum* tandem *Ungendam* dicit Angelus. Divina ordinatione ungebantur olim res, vel perſonæ, præ cæteris eximiæ, ac ſpecialem relationem ad Deum habentes *Exod.* XXX. 26. 27. 30. *Levit.* VIII. 12. I. *Sam.* IX. 16. X. I. XV. 12. 13. I. *Reg.* XIX. 15. 16. Erat tum Unctio in iis ſignum ac publica declaratio divinæ electionis ad ſingularem Dei inhabitationem, vel ad munus præclarum, & donorum Spiritus, ad id ritè & alacriter obeundum conferendorum. Frequentiſſimè Mediator promiſſus nomine *Uncti* proponitur, ac *unctio* ei tribuitur I. *Sam.* II. 2. XLV. 8. *Ieſ.* LXI. I. *Dan.* IX. 25. 26. *&c.* Intelligitur autem ea non corporalis, ſed ſpiritualis. Nempe *Unctus* Mediator dictus, quia perſona excellentiſſima foret, munus digniſſimum triplex gereret, ad hæc ab æterno conſtitutus *Prov.* VIII. 23. ac ut talis in tempore publicè *declarandus*, donaque Spiritus, ob multiplicem convenientiam per *oleum* meritò repræſentata, largiſſima manu effuſa, acciperet. Quod cuncta hæc nomine *Unctionis* vel *Uncti* Mediatori tributo comprehendi poſſint, liquet ex collatione locorum, in quibus ſpeciali relatione ad res vel perſonas unctas, ſive *Prophetas Ieſ.* LXI. I. ſive *Reges Pſ.* II. 6. *&c.* ipſi tribuitur unctio. Qualem ſpecialem reſpectum etiam heic reperiunt multi. Alii ad munus *Sacerdotale.* Ita *Cloppenburg. De ſacerdotali unctione eſt oraculum Pſ.* CX. 4. *&c. Nec non Dan.* IX. *de ungendo Sancto Sanctorum vers.* 24. *&c. vid. Diſput. Select.* XVII. §. XIX. Quando Unctio heic denotabit declarationem Mediatoris, ut conſummati Sacerdotis, per opera ſacerdotalia, occluſionem & expiationem pec-

ca-

catorum, paſſionibus obedientia junctis perficiendam, conf. *Heb.* II. 10. Alii ad munus *Regium* reſpiciunt; eſt enim unctus *Princeps*, quando rurſus unctio hæc denotat declarationem Mediatoris, ut glorioſiſſimi Regis, per collocationem ad dextram Patris, poſtquam in hiſce terris peccata expiaſſet, ut laboris debitam mercedem, atque ad beneficiorum acquiſitorum applicationem certam. Si autem ſub typo Sancti Sanctorum Chriſtum repræſentatum velimus, ad hujus olim mandatam unctionem *Exod.* xxx. 26. reſpectum eſſe cogitare poſſumus. Scilicet illa erat delaratio, ſingularis *eminentiæ* loci, à Deo electi in habitaculum, ac in ſedem cultus publici. Præterea erat ſymbolum donorum Spiritus, quibus *corpus* omnium harum umbrarum inungi debet, ſi ſanguine ſacrificiali & efficacia applicationis efficeret, ut Dei Tabernaculum apud homines, in gratia & in gloria, conſtituatur, & illi viciſſim apud Deum habitarent cum fide & amore ejus. Huc ergo alludens Spiritus, duo de Filio Dei proponit. I. Fore Illum perſonam digniſſimam, & à communi hominum ſorte longiſſimè ſeparatam, in Naturis, Muneribus, Statu &c. & verum Sanctuarium, in quo Deus ſe ergà peccatorem electum unicè exhibet gratioſum, atque ut tale declarandum coram omnium oculis. II. Fore ungendum oleo Spiritus uberrimè, ut promereretur Dei gratiam erga homines peccatores, immaculato ac voluntario ſui ipſius ſacrificio, atque efficeret per Spiritum, ut homines, hoſtes Dei, per fidem veritatis & amorem ſanctitatis ad ipſum ducerentur; & ſic unà habitarent ſimul. Hæc res implementum ſortita eſt in Jeſu Nazareno. Declaratus is eſt longe ſupra omnes præſtantiſſimus, non tantum in *Naturis*, ut Filius Dei, voce cœleſti *Matth.* III. 17. XVII. 5. operibus Deo propriis *Act.* x. 38. nativitate miraculoſa *Luc.* I. 32. reſurrectione ex mortuis *Rom.* I. 3. *&c.* ſed & in *Muneribus*; ſic verba & facta eximium Prophetam; Stella, Magi, Angeli, opera, *&c.* potentiſſimum Regem; animi & corporis cum pleniſſima obedientiâ junctæ paſſiones, præfiguratum, promiſſumque diu, nunc conſummatum Sacerdotem exhibuerunt. Donis Spiritus etiam uberrimè perfuſus eſt *Joh.* III. 34. *Jeſ.* XI. I. 2. in nativitate & ætatis progreſſu *Luc.* II. 52. magis in Baptiſmo *Matth.* III. 16. maximè autem poſt adſcenſionem in cœlum, quando

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

quando dona Spiritus accepit effundenda largiter in corpus myſticum *Pſal.* LXVIII. 19. XLV. 8. *Act.* IV. 27. *&c.*

L X I. Hæc ſunt illa Meſſiæ beneficia, quæ intra LXX. *Septimanarum* ſpatium, eventura erant. Non eſt verò ut multùm nos cruciemus in enodandis difficultatibus, quas heic injicit Chronologia. Nam quod ad Judæos attinet, ſatis conſtat, Septimanas has dudum eſſe elapſas, ac conſequenter Meſſiam veniſſe, & xpiationem peccatorum peregiſſe, Urbis excidio, de quo in ſequentibus etiam agitur, comprobatam. Nec Dei immutabile decretum, abſoluta prorſus promiſſio, ac finis adventus Meſſiæ, qui eſt peccatorum expiatio, patiuntur, ut exceptioni Judaicæ, de dilata impletione promiſſi hujus ob peccata populi, aures præbeamus modò. Uti neque cavillis eorum, de diſſenſu Chriſtianorum, in aſſignando principio, & fine Septimanarum, enumerandiſque annis interjectis, diu immorari opus eſt. Paucis modò dicimus, a reductione populi ex Edicto Cyri, uſque ad mortem Chriſti, vulgò à Chronologis plures paulò annos numerari, quam 490. Omnes fatentectur, juxta Joſephum, mortem *Alexandri* M. contigiſſe *Olymp.* CXIV. Chriſti verò ſtatuitur vulgò *Olymp.* CCII. *ann.* vel 4. Patet inde, ad *anno* mortis Alexandri M. ſi primus is dicatur *Olymp.* CXIV. uſque ad annum mortis Chriſti, ſi quartus *Olymp.* CCII. fuerit, fluxiſſe fere 354. annos. Quibus addantur 6 7 Alexandri, qui ei adſcribuntur, inde ab Imperio Orbis poſt cœſnm Darium, reſultantinde 361. vel 362. Quod ſi jam clare poſſet hypotheſis Bronglone de CXXX. annis Monarchiæ Perſicæ, res ſatis expedita foret. Verum Monarchicam Perſicam minimùm CC. annos duraſſe, graves & probati hiſtorici jure veteres, ſive recentes aſſerunt. *Perſas non multum ultra* 200 *annos in rerum faſtigio permanniſe*, author eſt *Dionyſ. Halicarn.* Poiro quod Cyrus *Olymp.* 55. an. 1 regnare, in Perſide cæperit uno ore Veteres, uti Julius Africanus, laudatus ab *Euſebio*, ſcriptum reliquit. Ad *Olymp.* autem CXII. annum quemcunque, in quo finem Perſica Monarchia, ſub Dario Codomanno, accepit, à primo LV. ducenti & triginta plus minus anni interceſſerunt; conſequenter ab initio Monarchiæ Cyri, uſque ad mortem Darii Codomanni, non multum ultra, ſed tamen ultra 200 anni ſunt. Idem patet ex annis ſingulorum Regum *Herodoto*, *Acſchæ*, *Joſepho*

ſepho, Diodoro Siculo , Clementi Alexandrino , Euſebio &c. licet inſigni varietate memoratis , etiam *Ptolemæo* in *Canone.* Quid ergò? an dicendum eſt omnes hos falſos & mendaces eſſe , utpote Danieli adverſos ? Ægre id à me impetrarem. Cogitandum itaque eſt , annon aliqua via reperiri poſſit conciliandi Danielem cum Chronologia exotica. Recurrit *Raimoldus* ad Synecdochen , ut numerus minor pro majori , certus pro incerto , rotundus pro non rotundo , & per alluſionem ad LXX. annos captivitatis LXX. ſeptimanæ annorum modò nominarentur; non præciſè intelligendæ , quia heic non eſt hiſtorica narratio , ſed Prophetica prædictio , in quâ memoriæ levandæ cauſâ , vel alluſione ad typum , numerus certus pro incerto poni poteſt. coll. *Gen.* XV. 13. *Gal.* III. 17. Sequerer hoc , niſi vox נחתך / & diviſio ſeptimanarum in partes obſtaret. Alii LXX. Septimanas continere contendunt tempora tantum ædificationis Templi & Civitatis , hujuſque ædificatæ inhabitationis , non vero tempora ceſſationis ab ædificando , quæ verius ad miſeriam captivitatis , quam libertatem pertineant. Quorſum referri poſse illud ובצוק העתים / *Et in anguſtia tempora,* ſc. quædam erunt , ſuſpicatur Clar. *Coccejus.* Quando hoc modo calculos inſtituit Clar. *L'Empereur.* Septem ſeptimanæ excurrerunt,id eſt,tantum temporis variis intervallis impenſum eſt ædificationi Templi , à primo Cyri , uſque ad ſeptimum Artaxerxis Mnemonis , ſcilicet à Cyro ad Xerxem, qui opus Templi impedijt , excurrunt anni 46. haud plene tamen ; quibus fermè ædificabatur Templum , opere illo ſimul variis modis impedito. Deinde continuò intermiſſum eſt ad annum 2 Darii Nothi , quo reſumtum opus ad faſtigium perductum eſt , circa annum illius 6 , id eſt , ſpatio ad minimum 3. annorum ; quos ſi addas præcedentibus 46, exurgent anni 49 , id eſt ſeptimanæ ſeptem. Poſt hæc (quæcunque etiam fuerit cauſa) manus extrema non eſt adhibita ante 7 Artaxerxis illius , qui Dario Notho ſucceſſit. Hoc , quantulumcunque fuerit temporis , ſi addas annis illis primis 46 , ſupplementi loco , quia pleni non fuerunt , juſtum habebis (additis ut dictum eſt tribus Darii annis) numerum 49. Ab hoc anno 7 Artaxerxis ad Chriſti 30. cum non fluxerint LXII. *Septimanæ,* ſeu an. 434. ſed 427 , qui cum 49. & 7 , ultimæ *ſeptimanæ* , 483 annos ſolum conficiunt ; ſciendum eſt Spir. Sanctum aliquoties in

prophetiis de Eccleſiæ calamitatibus, vel de liberatione ex iiſdem; reſpicere ad Iſraelitarum Exodum ex Ægypto, ideoque in calculo inſtituendo adhibere annos, quibus aſſueverant antiquiſſimi in Ægypto. Anni autem iſti habebant 12. menſes æquales, tricenis diebus deſcriptos. Hujuſmodi autem menſes abſque additamento conficiunt annos, qui conſtant diebus 360. adeoque à noſtris ſolaribus ſuperantur diebus quinque & horis ſex, conficientibus in hoc numero annorum 483, annos 7 plus minus, qui addi debent annis illis 483, atque hac ratione conveniet numerus. Vid. *L'Empereur in Not. ad Paraph. Jachiad. in Dan.* Alii tandem Edictum non unum Regium, aut primum Cyri ſolum, ſed quatuor ſucceſſive promulgata complexim ſumenda cenſent, utpote ad unum finem tendentia, dum poſteriora interpretamenta priorum fuêre. Quod eò magis plauſibile eſt, quo minus in uno Edicto v: g: Cyri expreſſe non reperiatur id omne, quod Angelus dicit de verbo egreſſo, nempe ilud fore non tantum de reducendo populo, ſed & dè reædificandis Hieroſolymis; quod poſterius explicitè quidem non habetur in Edicto Cyri, ſed in ultimo Artaxerxis. Quo pacto omnia rectè fluerent, ſi probari poſſit, Artaxerxem, ſub quo Nehemiah rediit & urbem inſtaurarit, eſſe Artaxerxem Longimanum. Anno enim 20 regni permiſit Nehemiæ reditum ad reſtaurandam urbem. Regnavit juxta Cteſiam annos 42. Darius Nothus ann. 19. Artax. Mnemon 43. Ochus 23. Arſes 3. Darius Codomamnas 7. quibus additi 6 vel 7 uſque ad Alexandri M. mortem reſultant anni 485, vel ſi annum unum Xerxi II. & Sogdiano adſcribere volumus, à 20. Artaxerxis Longimani, uſque ad paſſionem Chriſti, quam ſi contigiſſe dimidio primo, vel medio ſeptimanæ dicamus, annos 490 in quarto poſt paſſionem anno completos videmus. Verum non eſt neceſſe ita determinatè annos ad unum numerare. Satis conſtat fides Oraculi, etiamſi una aut altera difficultas in annis numerandis remaneat. Heic pedem figimus. Orantes Deum, ut Judæorum oculos tandem aperire velit, ut videant in Jeſu Crucifixo fontem horum beneficiorum ac omnis ſalutis, ut nos gratos pro tantis beneficiis in ſanguine Filii acceptis, continuò in cognitione fide amore Chriſti progredi, & unctionis ipſius participes faciat heic in gratia, donec tandem in gloria fructus Juſtitiæ ejus æternæ in æternum nanciſcamur.

CORÓLLARII *Loco Cathechesin Heidelbergenſem ſubjicimus defendendam.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 C 11